Finalmente nell'anno 1653 detti Alfonso et Ercole vennero fra di loro a conventione, in virtù della quale si contentarono possedere pro communi et indiviso li beni così di d^o qm. Antonio, come del qm. Alfonso seniore, loro avo paterno, della qm. Zinobia del Giudice e della qm. Vittoria Falancola [*sic*], loro madre e loro ava re-spettive, non ostante la sud^a donatione e prelegato a beneficio di d^o Alfonso, al che havendo riguardo il d^o Ercole e per altre cause sua mente moventino, donò per titolo di donatione irrevocabile tra vivi, sequta però sua morte, a D. Antonio de Liguoro, primogenito di d^o Alfonso et al medesimo D. Alfonso come legittimo amministratore di quello, et in difetto di d^o Antonio in caso che premorisse a d^o Ercole, dovesse d^a donatione passare agl'altri figli nascituri di d^o Alfonso tutto quello che a d^a D. Ercole pervenne in virtù di d^a conventione. [...] Et fattosi il caso della morte di d^o Ercole, fè istanza immettersi nella possessione delli beni, ut supra ceduti e renunciati, fra tanto quelli per sicurtà del medesimo D. Domenico fè istanza sequestrarsi li sud.i beni: e commessasi la causa in d^o S[acro] R[eal] C[onsiglio], e doppo molti atti e decreti si ritrova compilato il processo *in limine expeditionis*, la dove compare il sud^o D. Domenico de Liguoro, al presente monaco teatino, uno de' figli di d^o qm. Ercole facendo istanza adverso d^o termine compilato, et esser inteso da principio in d^a causa.

Et anco si è preteso e si pretende per parte di d^o D. Nicola [...] che non compete attione alcuna a d^o Signor D. Domenico e D. Giuseppe per diverse cause, et signanter per esser morto d^o D. Ercole con figli, contenendo d^a asserta donatione la tacita condizione purché esso donante morisse senza figli, non ostante la rinuncia della legge: «*Si unquam*»... In oltre detta asserta donatione fù ex errore fatta con pretesto che a esso qm. Alfonso spettavano docati diecimila donatili dal qm. D. Antonio, in tempo che roba libera non vi era di d^o Antonio [...]. Per esso Signor D. Nicola si è preteso non solo non esser tenuto a rilasciare li detti beni, ut supra donati, ma doversi astringere esso Signor D. Domenico a

D. Giuseppe a pagare il prezzo di docati 500 una cum interesse, donati dal qm. Alfonso a d° qm. Ercole sopra l'arrendamento della Regia Doghana di Napoli, in virtù d'istromento del 1654 per mano di Notar Giacomo Antonio di Monte. Di più dovessero detti padre e figlio pagarli il prezzo delli frutti delli beni donati dal qm. Alfonso ed esso D. Ercole sua vita durante [...]

E si pretende anco per esso D. Nicola [...] doversi astringere essi padre e figlio a pagarli il prezzo di uno basso toccato in portione ad esso D. Ercole della casa sita a Marianella, che si divisero l'anni passati esso qm. D. Ercole con il d° D. Domenico, non ostante d^a divisione et al presente si possiede da esso medesimo Signor D. Domenico.

[*Responsio avi et patris S. Alfonsi ad praecedentes allegationes:*]

Adverso le quali pretensioni si risponde per detti Signori D. Domenico e D. Giuseppe che non hanno sossistenza alcuna, nè in facto nè in jure, per diverse ragioni, et signanter perché la donatione fatta dal d° qm. D. Ercole non contiene nessuna conditione di morte con figli o senza figli, tanto maggiormente che espressamente si rinunciò da d° D. Ercole al beneficio della legge: «*Si unquam*»...

Intorno alla pretesa donatione fatta da d° qm. Alfonso ed Ercole dell'uso frutto de' suoi beni con la conditione, acciò potesse ascendere all'ordini sacri, si risponde che d^a donatione si risolvè immediatamente che d° D. Ercole si casò [...]

Et a rispetto della donatione delli docati 500 sopra la Regia Doghana di Napoli, non esser tenuti a cosa alcuna per esserne stati detti docati 500 assignati all'heredi del qm. Vespasiano de Liguoro, a chi spettavano in virtù della sentenza del S[acro] C[onsiglio] che apparenno [sic] nel «penes acta» nel processo intitolato: «*Processus Magnus haereditatis qm. Alfonsi de Liguoro senioris*» (34).

Per la pretensione del basso [*Marianellae*] si dice che, se bene nella divisione fusse addetto al qm. D. Ercole, doveva però a sue spese fare un muro divisorio di palmi sessanta due, con alcuni vacui nel cortile della casa d'esso Signor D. Domenico, conforme s'obligò il d° D. Ercole per foglio a parte da d^a divisione, il che non essendo seguito, detto basso restò in potere d'esso Signor D. Domenico, il quale è stato sempre pronto di cederlo, ogni volta che si fusse adempito in fare detto muro divisorio, e per altre ragioni e cause che per brevità di tralasciano.

(34) *Sententias et Acta Sacri Regii Consilii an. 1653-1654* (vol. 218-219) a pulvere excussimus quim *Processum Magnum* discooperiremus; saltem usque ad hodiernum diem.

In oltre esso Signor D. Giuseppe proprio nome pretende spettarli per d^a donatione fatta dal d^o Signor D. Domenico suo padre il territorio di moia otto, per esso Signor D. Domenico assignato per la transattione inita tra esso D. Domenico con l'heredi di d^o D. Ercole de Liguoro, con il peso di pagare lo debito contratto tantum prima di d^a donatione, et non altro.

[*Absoluta prima instrumenti parte assertiva, definiuntur in secunda ad concordiam conditiones, quarum praecipuae sic sonant:*]

Et fatta d^a assertiva, non volendo esse Parti più litigare nè passare per affratti giudiziarij[...], sono devenuti spontaneamente[...] all'infrascritte conventione, transattione e concordia, cioè: che siano tenuti detti Signori D. Nicola e D. Emmanuele in detti nomi di cedere a beneficio di d^o Signor D. Giuseppe e suoi heredi e successori le ragioni et attioni che li spettano sopra l'eredità del qm. Vespasiano de Liguoro et sopra l'eredità del qm. D. Mario del Giodice, anche per causa dell'i docati 190 che paga [D. Giuseppe] di suo proprio danaro, presente et accettante esso Signor D. Domenico suo padre ed il suo espresso consenso, ut infra, con retrocedere anco dette moia otto di territorio a d^o Signor D. Giuseppe con li patti, ut infra.

Di più sia tenuto esso Signor D. Nicola di cedere e renunciare al sud^o Signor D. Domenico, così il basso e la portione di sopprigno, et anche di renunciare alla pretensione della donatione fatta dal qm. D. Alfonso al qm. D. Ercole de Liguoro di docati 500 sopra la Regia Dohana [*sic*] di Napoli. [*Iterantur formulae notariales, ac deinde instrumentum prosequitur:*]

Detto Signor D. Domenico cede e rinunzia [*sic*] a beneficio d'esso Signor D. Nicola presente ed accettante la pretensione del muro divisorio della casa sita a Marianella[...]

E finalmente esso Signor D. Nicola [...] da hora spontaneamente vende, aliena, cede e renunzia ad esso Signor D. Giuseppe le dette moia otto di territorio arbustato, vitato et seminatorio, il medesimo territorio di moia otto che prima loro fù assignato da esso D. Domenico in beneficio d'esso Signor D. Nicola, come herede assieme con D. Emmanuele suo fratello del d^o qm. D. Ercole loro commune padre per la summa di docati mille e cento venti, prezzo effettivo di d^o territorio, quello medesimo che prima si possedeva da d^o Signor D. Domenico per la maggior quantità di moia vent'uno in circa, sito nelle pertinenze di Mugnano in loco detto Cannito, juxta le altre moia vent'uno in circa d'esso Signor D. Nicola, via publica et altri confini, per causa della transattione-

inhita [*sic*] tra esso Signor D. Domenico e la qm. Isabella Caputo, come madre e tuttrice di detti figli, in virtù d'istromento rogato per mano di Notar Filippo Mezzacapo nell'anno 1687 (35).

Et questo per il medesimo prezzo di docati mille e cento venti. Quali docati 1120 di detti carlini d'argento, esso Signor D. Giuseppe non ritrovandoseli prontamente *prae manibus* [...], spontaneamente s'obliga di pagarli a d° Signor D. Nicola qui in Napoli nella fine del mese di settembre di questo presente anno 1698 [...]. Del qual prezzo esso Signor D. Nicola [...] se ne dichiara ben contento, e se lo sud° territorio valesse di più di detti docati 1120, tutto il di più esso Signor D. Nicola lo dona per titolo di donazione irrevocabile tra vivi al d° Signor D. Giuseppe. Ita che [*sic*] in virtù della presente vendita del sud° territorio, ex nunc passi e sia nel pieno dominio, e seguito il pagamento sud°, in dominio, possessione e percettione del sud° D. Giuseppe.

E come che l'anni passati nell'istromento de' capitoli matrimoniali tra d° qm. D. Ercole e il Signor D. Nicolò di Costanzo, primo marito della Signora D. Lucrezia de Liguoro sua figlia, esso D. Ercole cedè et assignò moia dieci e mezzo di territorio della sud^a massaria col patto di ricomprare, perciò [...] dovranno pagarli [*ducatus 1120 a D. Giuseppe solvendi*] a D. Gaetano Nobilione, marito [*in secundis nuptiis*] e legittimo amministratore della Signora D. Lucretia (36). [*Pactiones aliae cum D. Caietano statuuntur*].

E stante la sud^a concordia restino in beneficio d'ambo esse Parti li beni del qm. Alfonso seniore, Antonio de Liguoro et Vittoria Falangola et Zinobia del Giudice pro aequali portione [...]. Et finalmente esse Parti si quietano respective l'una all'altra [...]. Et per qualsivogliono cittazioni, il d° Signor D. Giuseppe ha disegnato e disegna la Curia di me sud° Notaro, sita in questa città di Napoli nella Piazza di Seggio Capuano, nel frontespizio del Sacro Monte de' Poveri.

[*Subduntur nomina testium necnon adnectitur alia eiusdem instrumenti copia, quae exhibita fuit Magnae Curiae Vicariae ut ipsa, informationibus praehabitis, ratam haberet concordiam. Huic copiae praemittitur sic dictum folium praembuli, cuius substantiam transcribimus :*]

Die vigesimo primo iunij 1698 : presentata per D. Nicola de Liguoro presente. - Nella G[ran] C[orte] della Vicaria compare D. Nicola de Liguoro, tanto in nome proprio quanto come renun-

(35) Deest inter protocolla notarilia Philippus Mezzacapo.

(36) Cfr supra notam 16.

ciatario di D. Domenico de Liguoro, suo fratello chierico regolare teatino, e Tutore di D. Emmanuel de Liguoro altro fratello minore renunciatario, esso D. Nicola e D. Domenico e D. Emanuele di D. Giuseppe de Liguoro, altro fratello monaco del monastero di S. Benedetto, heredi essi fratelli del qm. D. Alfonso de Liguoro, altro loro fratello, tutti heredi del qm. D. Ercole comune padre, quale fù figlio et herede pro medietate del qm. D. Antonio de Liguoro [...], e dice come per le pretensioni dellì mag[nifi]ci D. Domenico e D. Giuseppe de Liguoro padre e figlio, dedotte e non dedotte nel S[acro] C[onsiglio], è venuto a transattione e concordia cen li medesimi per non litigare, in virtù della quale si sono convenuti di farsi generale quietanza ad invicem [...]. E perché il contenuto di dette minuta e transattione ridonda in evidente utilità di detto pupillo (37) s'è convenuto prima di stipularsi farsi intervenire decreto d'expedit; per tanto ricorre da essa G[ran] C[orte] e fa istanza d'interponerseli d° decreto d'expedit sopra d^a transattione [...]

Die 21 junij 1698.

Per substitutum D.num Judicem M[agni] M[agistri] C[onstitutio] Vicaiae fuit provisum et decretum quod capiatur summaria informatio super contentis in retroscripta comparitione ad finem providendi de decreto si expedit, testes habeantur pro citatis et recipiantur per S.C.

Hoc suum Guascus.

Izzus actuarius.

Marotta scriba.

[*Sub finem praecitatae copiae exscribitur decretum:*] In causa interpositionis decreti petiti per m[agnifi]cum Nicolaum de Liguoro... - Die 27 junij 1698 Neapoli... Magna Curia declarat quod expedit, et proinde liceat stipulari enunciatas minutis subscriptas a D.no Causae Commissario, quo instrumento stipulato ex nunc pro tunc interponit decretum et judicariam praestat autoritatem.

Hoc suum

Guascus. - Constantinus.

Izzus actuarius. - Marotta scriba.

Concordat cum suis originalibus. Neapoli die 3 julij 1698.

Jacobus Antonius Izzus actuarius.
Vincentius Marotta scriba.

(37) « Pupillus » in casu erat frater natu minor D. Emmanuel, cuius tutelam gerebat D. Nicolaus quatenus caput totius familiae postquam primogenitus D. Alfonsus mortem in Hispania gloriose oppetit.

RAYMUNDUS TELLERÍA

ARCHIVI STATUS VINDOBONENSIS RELATIO
ET DECRETA

QUIBUS GRADUS MILITARES AC MUNIA CONTINENTUR
DD. IOSEPHI, DOMINICI ATQUE ANTONII DE LIGUORO
PATRIS, AVI NECNON PROAVI S. ALFONSI RESPECTIVE

Relationem ac decreta, a nobis apud Vindobonense Status Archivum numer per inventa, iuxta textum et contextum prius quam afferamus, summatim in memoriam reducimus familiae habsburgicae in regno neapolitano fastos dies ab an. 1700 usque ad an. 1734, quibus ignoratis aut praetermissis hodiernus lector aegre deprehendet, cur huiusmodi documenta Vindobonae reperiantur et quare ipsorum ope D. Iosephus de Liguoro, S. Alfonsi pater, tum proprias tum avi et proavi res gestas ad imperatorem Carolum VI per Hispanticum Vindobonense Consilium detulerit, et quoniam fundamento ipse ab eodem imperatore gradibus militaribus fuerit insignitus. Patebunt inde singula D. Iosephi per decennium navalia facinora, necnon connexio graduum quos acquisivit cum maiorum suorum pro causa habsburgica servitiis; ac proinde, intimius a nobis cognito D. Iosephi charactere, delibare quidquam fas erit ex eiusdem influxu in S. Alfonsi educatione.

I - FAMILIAE HABSBURGICAE DIES FASTI AB AN. 1700 USQUE AD AN. 1734

Ne ab ovo huius familiae eventus repetamus et quoniam lectorem apprime in historiae annalibus edoctum praesumimus, recolere sufficiat, ab imperatore Carolo V et deinceps usque ad finem saeculi XVII, dynastiam habsburgicam per ramos collaterales et parallelos tum Matriti tum Vindobonae sub sceptro suo saeculari populos Europae centralis et littoris mediterranei tenuisse. Huius dominii effectus visibles non solum ad collaboracionem politicam inter utrumque ramum, matritensem ac vindobonensem, extendebantur, verum ad res etiam familiares, sicuti cuique hodie licet comprobare visitanti Vindobonae palatium imperiale (*Schatzkammer*) atque artis museum (*Kunsthistorisches Museum*): puta Velazquecii miras effigies oleo depictas, quae e Matrito ad Danubii ripam personas regias perinde ac viventes transferebant.

Nec huius duplicis rami habsburgici subditi per quaslibet regiones dispersi respuerant similem gubernantium supranationalem foederationem, cuius gratia — procul a subsequentibus hodierni nationalismi exigentii — non raro servitia sive militaria sive civilia uni dynastiae ramo praestita ab altero tanquam sibi largita munerabantur. Hinc liquet quo iure in infra scriptis documentis D. Iosephus de Liguoro exhibeat imperatori Carolo VI vindobonensi maiorum suorum egregias res gestas, etsi in Hispania aut Neapoli pro dynastia matritensi feliciter patratas, de quibus ipse se remuneratum iri sperabat.

Quae praemiorum ad invicem sibi communicantium spes accreuit, ex quo illucescente saeculo XVIII sors Domus Habsburgicae in peius Matriti abiit. Enimvero postquam anno 1700 in Caroli II hereditatem hispanicam suffectus est Philippus V Borbonicus, haud pauci regnorum proceres mutationem dynasticam aversati sunt, ac p[re]a primis Neapoli nobilium manipulus, qui duce Principe de Macchia an. 1701 contra ducem de Anjou seu Philippum V ad arma conclamarunt, eis connivente imperatore Leopoldo I, qui die 12 septembbris an. 1703 suae familiae iura ad Hispaniarum regna publice vindicavit eisque a longinquo p[re]aeposuit filium suum ultimogenitum Carolum III. Initio igitur bello, quod apud historicos « successionis hispanicae » nuncupatur, atque imperii habenas post Leopoldi I obitum ab anno 1705 Iosepho I regente, huius frater Carolus III an. 1706 Barcinone potitus est ibique sedem suam ac regia officia defixit, donec, immatura morte e vivis imperatore Iosepho I an. 1711 praerepto, se Vindobonam transtulit Carolus III imperium sub nomine Caroli VI gubernaturus, non tamen prius quam Barcinone uxorem suam Elisabeth Braunschweig-Wolfenbüttel regiam constituisset.

Interea vero, conclamata successionis iura habsburgica sibi repetens, imperator Iosephus I in Italiam meridionalem an. 1707 exercitum miserat, qui ducibus Martinitz et Daun urbis neapolitanae claves exceptit et absque gravi certamine cunctas regni provincias, Sicilia tamen excepta, in ditionem Vindobonae rededit, exultantibus quidem iis omnibus, quibus inerat cordi avita erga familiam habsburgicam fidelitas. Hos inter non ultimum tenuit locum gens de Liguoro et Cavalieri, quae adeo se novo regimini ligavit, ut tam in prospera quam in adversa fortuna ad imperii umbram fidelis maneret. Etenim D. Iosephus de Liguoro, S. Alfonsi pater, quem in infra relatis documentis cernimus ad honores ab imperialibus elatum, in obscuram vitam privatam migravit, etiam iusto stipendio ei negato, an. 1734-1735, post dynastiae borbonicae restorationem. Similiter D. Iosephus Cavalieri, eiusdem levir (*cognato*), ad imperii servitium Neapoli pluries regius minister ac Mediolani 15 annos commissionis census (*catasto*) consiliarius et praeses, sub vitae finem lares domesticos revisit, dum ipsius filius Carolus vexilla imperatricis Mariae Teresiae usque ad mortem Mantuae honestavit atque ab illa titulo baronali decoratus fuit.

Quandoquidem huiusmodi vicissitudines militares ac politicae eo aeo aestimabantur potius dynastiae quam nationales, idcirco eisdem moderandis ac regendis p[re]aeponebantur viri ex alia natione orti, dummodo verbis et factis dynastiae habsburgicae adhaererent. Caeterum vindobonensis imperator meritum quoque p[re]aemium iis persolvere tenebatur militibus ac duabus, immo et civilibus administris, qui sive in Hispania sive in regno neapolitano se suosque familiares pro imperiali victoria periculis quam plurimis

exposuerant. Hinc clarescit, cur in Vindobonensi Consilio primum Hispanico, deinde Italico atque in eiusdem officinis consederint simulque laboraverint consiliarii et officiales austriaci, hispani ac neapolitani sub directio-ne suprema Marchionis de Rialp (1) : hinc in historia S. Alfonsi, dum Sca-lae moratur, a longe comparet secretarius D. Franciscus Tosques, D. Sil-vestri Tosques frater primogenitus, cuius Vindobonae beneficā dexterā ma-ximus profectus nascenti Instituto alfonsiano sperabatur obventurus; hinc demum, ne prolixior evadat sermocinatio nostra, plane intelligitur quare in lingua hispanica aut italica conscriberentur pleraque ex officio inter Neapo-lim ac Vindobonam retransmissa documenta, iis paucissimis exceptis quae privatim proreges Martinitz et Daun in lingua germanica praedicto Con-silio aut imperatori dederunt. Sed de his fusius et melius loquemur, pauli-sper in Status Archivis neapolitano et vindobonensi immorando.

II. - DE RELATIONIBUS INTER NEAPOLIM ET VINDOBONAM (1707-1734) SECTIO-NES ARCHIVISTICAE SPECIALES.

Mirantibus quibusdam, quod documenta alfonsiana Vindobonae exqui-teremus, respondimus periodum historicam, dominatione austriaca Neapo-l signatam, reliquise in utroque nationali Status archivo haud spernendam fasciculorum segetem, quae si diligenter et systematice messa prorsus fue-rit, novas in medium proferet notitias de S. Alfonsi parentibus et cognatis.

1. - Enimvero, ad Archivum Status neapolitanum quod attinet, in eiusdem fundamentali ordinatione seu « organizatione » creata fuit sectio (*Tavo-la XVIII*), quae inscribitur: « *Supremo Consiglio di Vienna per gli affari del Vicereame di queste provincie* ». - Comprehendit igitur negotia, quae ab anno 1707 usque ad annum 1734 ab imperio habsburgico e Vindobona gesta sunt terra marique ad Mediterranei plagas: quae quidem negotia subdivi-duntur ab archivi compilatoribus in tres « nomenclaturas » praecipuas: a) *Cancelleria* cum 151 voluminibus, b) *Consiglio* cum 70, c) *Segreteria* cum 86. De ipsorum materia, ad Neapolim potissimum spectante, agere supersede-mus, quippe quod nobis palam in archivo offertur et apud archivi emeritum directorem D. Franciscum Trinchera succinete legi potest (2).

2. - Archivum Status austriacum Vindobonae institutum coram ecclesia (*Minoritenkirche*) olim a S. Clemente M^a Hofbauer ministrata, longe su-perat sub hoc respectu Archivum Magnum neapolitanum. Ipsius collectio-nes (*Bestände*) documentariae in tres series distribuuntur: a) *Neapel*, b) *Spanischer Rat*, c) *Italienischer Rat*; quibus adde, pro activitate DD. Iosephi et Caroli Cavalieri, exquirendas series: *Mantua* (Ducato di) et *Lom-bardei* (Milan). Huiusmodi documentorum ubertas accurate subdivisa praē-

(1) Marchio hic, lungos annos Vindobonae servitio imperiali addictus, eques no-bilis erat ex Catalaunia centrali ortus, cui nomen D. Ramón Vilana Perlas. Frater eius Rev.mus D. Paulus Vilana Perlas archiepiscopatum Salernitanum gubernavit usque ad annum 1729. Utrique fratri, ex imperatoris concessione mense sept. an. 1729 signata, sedili Portae Novae adscribi licuit, quin tamen ex archivi fontibus eruamus, utrum de facto adgregatio postvenerit (Österr. Staatsarchiv-Wien. Spanischer Rat, vol. 13bis, Caxa de Despachos, f. 38r, 39r). In affirmativam de aggregatione conclusionem sese inclinat Placidus TROYLI Cist., *Istoria generale del Reame di Napoli IV*, Napoli 1752, 127.

(2) F. TRINCHERA, *Degli Archivi Napoletani*, Napoli 1872, 298-303.

betur hoc modo : a) *Neapel.*: 1) *Korrespondenz* (1707-1734) cum 195 fasciculis seu capsis, 2) *Collectanea* (1707-1742) cum 53 fasciculis, b) *Spanischer Rat* (1713-1736) cum 51 fasciculis, c) *Italienischer Rat* (1736-1768) cum 12 fasciculis; demum *Mantua* (1714-1800) cum 51 fasciculis, *Lombardei* (1707-1796) cum fere quattuor centenis.

Documenta pleraque e Neapoli Vindobonam remissa, vix exceptis — ut supra diximus — privatissimis proregum Martinitz et Daun communicacionibus, exarata manent in lingua hispanica aut italica, interdum etiam gallica, ac generatim pertractant multiplicem rerum varietatem, quae inter regnum neapolitanum et dissitos eiusdem supremos Vindobonae rectores obveniebant. Si quae vero memorialia pro scopo nostro connotanda occurrunt, ea potissimum seligemus quibus neapolitani nobiliores ac de familia habsburgica magis emeriti suas quisque rationes imperatori « repraesentabat » (erat pro casu vocabulum usitatum), ut sibi quae ex iustitia credebant praemia mereri, redderentur. Hac via processisse quoque docemur ex infrascripto memoriali D. Iosephus de Liguoro, S. Alfonsi pater atque imperii habsburgici strenuus miles.

III. - MEMORIALE D. IOSEPHI DE LIGUORO EIUSQUE ANTECEDENTIA ET CONCERNITANTIA HISTORICA.

Effectivus memorialis compilator ac subscribens portenditur D. Iosephus Cavalieri, regius in S. Clarae Camera consiliarius simulque Status et Belli secretarius, id est, iuxta hodiernum nostrum loquendi modum, « minister ». De eiusdem ac patris sui D. Frederici officiis publicis, data opportunitate loquemur. Illius soror D. Anna Catharina Cavalieri sponsum sibi duxerat D. Iosephum de Liguoro, quanobrem non est a priori excludendum huius ligaminis familiaris pondus ex parte D. Iosephi Cavalieri, in memoriali adparando et subsignando: adparasse tamen illud et se rescriptsisse semel atque iterum proclamat, praehabitis ex rigore documentis bellicas D. Iosephi de Liguoro res gestas comprobantibus. Memoriale his cautionibus an. 1713 primitus elaboratum, deinde sub finem an. 1714 a notario Francisco de Urso transcriptum, recognita ab aliis notariis transcriptione, tandem ipse D. Iosephus de Liguoro Vindobonam remisit eiusque ope supremum vitae suaee militaris praemium obtinuit, nempe quod die 16 iunii an. 1716 imperator Carolus VI signaret decretum, quo S. Alfonsi pater creabatur navares triremis inter omnes neapolitanas munitissimae, cui nomen « La Capitana ».

Iam vero, quoniam in praecitato memoriali revocantur familiae de Liguoro antecedentia quatenus Domui Habsburgicae favorabilia, de his breviter dicamus, seu potius de claris familiae viris a D. Iosepho memoratis, qui avitam progeniem efformant dynastiae habsburgicae matritensi pronam. Quibus praecognitis, resolvitur aenigma vocationis militaris D. Iosephi de Liguoro. Is namque, usque ad hodiernos historicos (3), avulsus describebatur a quacumque familiali cum castris dependentia ideoque primus qui naves

(3) R. TELLERIA, *San Alfonso M. de Ligorio I*, Madrid 1950, 6. - Minus etiam congruens nobis videbatur appellare, ut communiter fiebat, D. Iosephum navis ductorem (*capitano*) iam ab an. 1696, in quo filius eius primogenitus Alfonsus natus est. Tunc enim D. Iosephus sextum et vigesimum aetatis suaee annum agebat.

praeliaturus concenderet. Nunc autem, et pro historia futura, nobis ipse venit obviam premens maiorum suorum vestigia eosque superans militari fortunâ et honorum mercede. Ex obliquo fit nobis pariter obvius character seu indoles moralis tanti viri, qui navi, militibus, nautis, remigibus imperandis assuetus non raro easdem imperii formulas applicare intra domesticos parietes voluit obedientie ac ordinarie tacente eiusdem filio S. Alfonso.

1. - *D. Iosephus Antonius de Liguoro, abavus S. Alfonsi* (4).

Exorditur memoriale a D. Iosepho Antonio de Liguoro, S. Alfonsi abavo. Reipsa genealogistae et scriptores ipsum nuncupabant simpliciter Antonium: quod vero preeponendum sit etiam nomen Iosephi non est magni momenti. Eiusdem munus declaratur « capitán de guerra » (dux belli) in insula, cui nomen Nisida. Eo igitur tempore, quod a memoriali innuitur (1642), servitium activum gerebat, et quidem in loco difficulti, etsi valde "strategico". Parva equidem insula, arce fortissima in cacumine coronata, tuebatur ex una parte sinum Pozzuoli ac portum Baiae, ex alia vero sinum Neapolis eiusque castella, Castel Novo et Castel dell'Ovo; quapropter insulae praesidiariis militibus opus erat vigilautia continua ac perpetua, necnon patientia intermina, quandoquidem aliis incolis praeter milites Nisida destituebatur. Fortasse gens militaris oblectabatur... asparagis, quorum illud genus « quod in Neside Campaniae insula sponte nascitur, longe optimum existimatur » (4^a).

2. - *D. Alfonsus de Liguoro, proavus S. Alfonsi*.

Patris exempla aemulatus D. Alfonsus militiae se a iuventute addixit, in qua an. 1642 eques loricatus (*caballero coraza*) et quidem cohortis ductor (*capitán*) effertur, dum annuente prorege, Duce Medina de las Torres, Mediolanum cum equitatu petiti ibique sex menses moratus est, Domus Habsburgicae matritensis exercitui incorporatus. Neapolim redux, se eiusdem Domus Habsburgicae fidum sequacem monstravit paucis post annis, cum perturbationes politicae, an. 1647 Masaniello instigatore obortae, adducere et conflare tentaverunt rempublicam neapolitanam Henrico de Lorena, Duci de Guisa, mancipatam: tentamen infelicissimum atque civibus adeo onerosum, ut eorum pars maior ac sanior laetabunda susciperet diebus 5 et 6 mensis aprilis an. 1648 Domus Habsburgicae redeuntem exercitum atque Philippi IV filium, principem D. Ioannem de Austria. In his igitur arduis eventuum politicorum adiunctis fidelitas D. Alfonsi de Liguoro eiusque animus strenuus supra modum excelluerunt: unde ipsius nomen, simul cum aliis ex nobilitate primoribus, communicatum fuit regi Philippo IV, qui filio suo D. Ioanni mandavit, ut oretenus D. Alfonso de Liguoro et regiam gratam memoriam significaret et praemia opportuno tempore largienda polliceretur.

3. - *D. Dominicus de Liguoro, avus S. Alfonsi*.

Quamquam supradictum memoriale non nisi quaedam D. Dominici de Liguoro facta militaria pertingit, iisdem et familialia permiscemus, quia utra-

(4) Genealogiam et matrimonia maiorum S. Alfonsi in articulo praecedenti huius fasciculi explanavimus.

(4^a) PLINIUS, *Historia naturalis* lib. XIX, 42.

que sat conferunt ad filii sui D. Iosephi personalitatem proprius noscendam. Ardore itaque iuvenili D. Dominicus, praeeunte commendatione (*patente*) proregis D. Petri de Aragonia, anno 1666 nomen suum dedit cohorti peditum neapolitanorum, qui corpus selectum seu « tercio » conflabant sub imperio D. Hyacinti Suardo, quo duce D. Dominicus, in gradu duxoris (*capitán*) constitutus, navim die 4 maii an. 1667 ascendit atque ex sinu neapolitano ad mare oceanum et usque ad lusitanas plagas sex menses prae-liaturus navigavit. Tum vero Gadibus (Cádiz) obtenta itinerandi licentia, in Aragoniae regnum profectus est, ut negotiis quibusdam consuleret, quae sui praesentiam exigebant. Dolendum sane quod negotiorum natura reticeatur, ex quibus fortasse eruere nobis liceret alias negotiatoris cum Domo Aragoniae relationes. Utcumque res sit, non prius ex Hispania discessit, quam sibi adsignatum adeptus esset stipendium 50 scutorum mensile, quod in filium D. Iosephum suo tempore transferret.

Enimvero interea matrimonii viâ incessit, per quam nescimus, an beatum vel contra illum declaremus, utpote qui primas, secundas, immo et tertias nuptias inire haud dubitavit. Primas, si in documentis legendis non fallimur, contraxit ex Hispaniae redux, et quidem Nolae die 16 octobris an. 1668 cum D. Andreana Mastrillo (5). Haec autem erat vidua D. Henrici Mastrillo et secum in matrimonium cum D. Domenico de Liguoro portavit filiam unicam D. Eleonoram Mastrillo. Ex novo matrimonio nati sunt D. Iosephus die 11 feb. 1670 (6), D. Hieronyma et D. Hippolita (7). At eorum mater D. Andreana e vivis discessit an. 1675 aut probabilius in primo semestri an. 1676, siquidem die 5 decembris huius anni 1676 D. Dominicus partem dotis exceptit ante secundas nuptias cum D. Agneta di Franco, uti ex aditione eiusdem testamentaria docebimur in alio *Spicilegii* articulo, ubi fusius quoque exponemus tertias D. Dominici cum D. Hieronyma d'Amico nuptias.

Initio itaque an. 1677 coniuges DD. Dominicus et Agnes, aliis propriis liberis non exhilarati, quattuor penes se infantulos alebant: Eleonoram, Iosephum, Hieronymam et Hippolitam. Utrum noverca D. Agnes versus eosdem acta fuerit necne sueta novocali aversione, haud liquet: contrarium potius affirmare decet, saltem ex eiusdem agendi ratione cum privigno puerulo atque adolescente D. Iosepho, cui ipsa moriens legavit 500 ducatus hac conditione, ne videlicet super dicto legato patrem suum, dum ipse viveret, disturbaret. Quae quidem disturbatio vix intelligitur, cum conspicimus D. Dominicum filio suo D. Iosepho quindicenni an. 1685 donantem coram nota-

(5) Postquam Nolae sive paroeciarum sive Curiae archiva volvimus, actum sequentem selegimus: « A dì 16 di ottobre 1668. Tra li SS.ri D. Domenico Liguori di Napoli, et D. Annella Mastrillo di Nola, si è contratto legittimo et solleume matrimonio per verba de praesenti vis et volo servata forma S.C.T., in casa de licentia, per il Signor Archidiacono; presenti D. Cesare di Liguori, Signor Antonio Mastrillo, Signor Domenico Vecchioni et altri » (Arch. della Curia-Nola. Coniugatorum lib. I-II, an. 1595-1686, f. 69). Ratio quaedam dubitandi restat in nomine sponsae: « Aunella » pro « Andreana »; dubium ampliori indagine tollendum.

(6) D. Iosephus natus erat in « terra » seu pago S. Pauli (hodie S. Paolo Belsito) extra moenia urbis Nolae. Actum baptissimi, dispersis hodie libris paroecialibus, publicavit ex copia posteriori an. 1684 P. Gregorio (S. Alfonso. *Contributi bio-bibliografici*, [Brescia 1940], 23). In hoc actu comparet tamquam baptizandi patronus D. Antonius Mastrillus, idem (ni fallimur) quem ut testem matrimonii indigitavimus in nota praecedenti.

(7) Interdum vocatur D. Porzia (*Contributi* 33). In omnibus tamen, quae edemus, documentis dicitur D. Hippolita; fortasse utroque baptismi nomine fruebatur.

rio (8) cuncta sua bona donatione irrevocabili, retento nihilominus vita sua durante bonorum usufructu atque exclusis legitimis portionibus DD. Hieronymae et Hippolitae reservatis. Sed de his ad supra indicatam aditionem testamentariam edendam lectorem mandamus.

4. - *D. Iosephus de Liguoro, S. Alfonsi pater.*
Eiusdem militare curriculum universim consideratum.

Vix ergo atque ex adolescentia recesserat, sibi in animum D. Iosephus de Liguoro induxit maiorum suorum itinera terra marique sulcare: quem in finem adscribi festinavit tanquam « aventurero » inter milites navis praetoriae (*galera capitana*). Primus iste gradus seu « aventurero » intelligendus est iuxta mores et nomenclaturam illius aetatis. Apud triremes namque, prouti infra cuique videre fas est (doc. VI, VII), tria distinguebantur navigantium genera: a) aliud stricte militare, cui stipendium et victus adsignabatur, agmine conflatum militum ac ducum, qui sub navarchi suprema directione praelia navalia conserebant aut e navi egredientes in terra quoque dimicabant, b) aliud erat potius technicum, eo sensu quod — seniper ad navarchi nutum — navigationi recte exsequendae invigilabat, c) aliud demum censebatur inferius, remigibus potissimum constans sive damnatis sive capti-vis. Extra hanc triplicem specificationem manebant cappellanus, medici, chirurgi aliqui, qui tamen ratione stipendi ac victus inter priiores inserebantur. « Aventurero » itaque is in lingua hispanica tunc dicebatur, qui sponte sua et suis sumptibus militiae adscribebatur et cui spes unica affulgebat, stante officialium et militum in unaquaque navi numero clauso, futurum fuisse ut tempore elapso locus ei vacuus occupandus offerretur.

Annum definitum, quo D. Iosephus navim praetoriam seu « La Capitana » tanquam « aventurero » concendit, stabilire nequimus; attamen id factum fuisse suspicamur circiter an. 1690-1691, cum ipse aetatis sua ageret annum vigesimum aut vigesimum primum, utpote quod anno sequenti, dum Barcinone pater eius documenta protulit ut in filii beneficium stipendium patris commutaretur, filius describitur a quodam temporis spatio munere « avenirero » fungens. Commutatione a Regio Ministerio probata et opportuno decreto roborata, D. Iosephus an. 1692 in praedicta navi « La Capitana » assumpsit gradum, qui appellabatur « entretenido » sive « de entretenimiento », cuius effectu non iam propriis sumptibus nec ex capsa militari communis alebatur, sed ex sibi translato 50 scutorum mensili stipendio antehac in patris sui praemium soluto.

Hoc simplici decoratus gradu, aut fortasse mox subcenturionis (*tenente*) munere auctus, D. Iosephus, urbis ac maris occupationes alternatim commiscens, transegit ultra subsequens decennium, eventibus familiaribus onustum. Anno 1695, die 15 mensis maii (9), in uxorem sibi duxit D. Annam

(8) Notarius iste D. Michæl de Colellis pergravem iacturam subiit in suis protocollis, quare hanc donationem originalem in suo textu ignoramus.

(9) Ex Registro originali Parrocchia Metropolitana Ecclesiae [Duomo] transcribimus. Actum matrimonii: [Ad oram:] « Liguoro con Cavalieri. - A 15 maggio 1695. Il Sig. D. Giuseppe di Liguoro et D. Anna Catarina Cavalieri di na Parrocchia ambi non più casati hanno contratto matrimonio p. verba de presenti vis et volo servata forma S.C.T. con decreto in questa Maggior Chiesa solemnizzato p. il R. Paroco D. Emmanuele Cicatelli presenti p. testimonij D. Michele di Nicola, D. Nicola Francese, S.to Donato Maiello et altri » (Arch. Parr. Metropol. Eccl. Lib. VIII Matrim. [1688-1707], f.22).

Catharinam Cavalieri, ex qua genuit octo filios, videlicet S. Alfonsum (27 sept. 1696), Antonium (5 nov. 1698), Magdalenam (27 feb. 1700) et Barbaram gemellas, Caietanum (4 sept. 1701), Annam (28 nov. 1702), Teresiam (12 dec. 1704) et Herculem (30 nov. 1706).

Paulo post natum ultimogenitum filium, regni neapolitanii sortes subdivisionem transierunt Habsburgicae Domus, cui D. Iosephus non solum adhaesit maiorum ad instar, verum sese etiam devinxit privatum ac publice, immemor eiusdem suae prioris manifestationis in regium hospitem Philipum V borbonicum (10). Similis suae devinctionis signaculum adest novus gradus, quem a prorege comite Daun die 23 decembris an. 1707 adeptus est, scilicet: « Asentó la plaza de Capitán de infantería española y de la galera Padrona de esta escuadra ». Locutio « asentar la plaza » exprimit locum seu munus invenisse vacuum, cui ipse insedit, id est, cui deinceps exercendo vocatus est cum iuribus et emolumentis muneri adscriptis. Munus autem erat peditatus hispanici ductor (*capitán*), hoc est, agminis maritimi quod in navi « la Padrona » vehebatur militibus hispanis ac neapolitanis, immo quibusdam austriacis coalescens.

Mentis ac cordis virtutes, quibus ornatus D. Iosephus conspiciebatur, sic eminebant ut, aetate 38 annorum minime obstante, ipsum prorex Comes Daun ad interim elegerit die 3 martii an. 1708 navarchum ipsius triremis « La Padrona », quin prius electionem ab imperatore ratam haberet; hanc vero ratificationem signavit Carolus III Rex Barcinone die 29 ianuarii an. 1709. Interea die 5 decembris an. 1708 praefectus erat D. Iosephus navigio (*navigio*) triremibus inferiori, nuncupato « Daun » in testimonium benevolentiae erga eiusdem nominis proregem. Huic navigio « Daun » praepositus continuasse videtur, etiam post regiam novi sui muneric ratihabitionem, donec mense septembri an. 1711 nova triremis « La Padrona » in altum mare navigare potuit; sin aliter, ex vetuscente triremi in novam « La Padrona » manus ipse an. 1711 firmiores transposuit (11). Nec mirum, quia interdum non leve temporis intervallum decurrebat inter regium Vindobonae datum decretum et effectivam eiusdem Neapoli executionem.

Septem circiter annos sub se habuit D. Iosephus triremem « La Padrona », cuius gubernaculum an. 1716 ex Caroli VI imperatoris voluntate dimisit, ut aliud superius assumeret in triremi praetoria seu « La Capitana » duodeviginti ab illo annos regenda. Hoc equidem munus tamdiu obire perrexit, quamdui in servitio activo classi neapolitanae adscriptus mansit, id est, usque ad exitum dominationis habsburgicae infeliciter an. 1734 consummatum. Ad haec, inde fere ab initio, subsistente qualificatione navarchi (*capitano*) navis praetoriae, additus est D. Iosepho gradus superior, nempe « tenente colonnello », saltem in officialium nomenclatura imperiali. Honori

(10) Cum ad sedile Portae Novae Philippus V an. 1702 accessit, corona cinctus apparuit completearium, quos inter eminebant « il duca di Flumari vecchio, il duca di Catinaro...», D. Domenico de Liguoro; prendendo il freno del cavallo del re D. Carlo Capuano e D. Francesco de Liguoro, sottentrando alle cinque aste del Pallio il duca di Flumari giovane, D. Carlo Mormile, D. Giuseppe de Liguoro » (*Distinto racconto della Real Cavalcata... del nostro gloriosissimo monarca Filippo V*, Neapoli, Roselli, s.a. - Biblioteca Casanatense-Roma. Miscellanea in 4°, vol. 99, n. 14).

(11) Sribit Nuntius neapolitanus: « Napoli 29 sett. 1711. Sono stati dichiarati li capitani delle due nuove galere che ultimamente si misero in acqua, e sono il Signor D. Giuseppe di Liguoro e Signor D. Pietro Pedrazza » (Arch. Vaticano. Napoli, vol. 144, f. 642v).

respondebat et praemium, quandoquidem D. Iosephus primum inter aequales navarchos tenebat locum ratione pinguoris stipendii (duc. 440).

Nec omnino destituitur fundamento prisca traditio, quae posteritati mandavit D. Iosephum egisse tamquam totius neapolitanae classis caput supremum. Sane quidem nunquam ipse possedit huiusmodi titulum, quem absque interruptione gestavit Marchio de Fuencalada (12). Nihilosecius ac de facto non semel D. Iosephus supremi navarchi partes explere coactus est: prae primis, ut ipsem in infra relatis documentis confirmat, cum agebatur de partiali triremium navigatione, quae commeatum (*convoglio*) victualium aut militum tueri debebant: hinc navis praetoriae navarchus, qua ornabatur dignitate hierarchica, caput supremum expeditionis efficiebatur. His adde quod Marchio de Fuencalada, « Capitán general de las Galeras » vel italice « Generale della Regia Squadra », ministri superioris potius quam ducis immediati triremium officia adimplebat: quin etiam, interdum plures menses Vindobonae abfuit, colloquia de rebus navalibus cum regiis ministris protrahendo (13). Quae omnia magis patescunt, si D. Iosephi res gestas singulatim inspicimus.

5. - *D. Iosephi de Liguoro res gestae quales singulatim in memoriali enarrantur*

Quibusdam placuit D. Iosephum effingere lustrantem aequora usque ad littora « asiatica et marocchina ». Figmentum aegre historicum. Omissio namque argumento, quod aliarum nationes consules et legati Neapoli commorantes, ac prae aliis Rev.mus Nuntius (14), atque legati genuenses et veneti (15), triremium neapolitanarum itinera sive excursus saepissime in suis hebdomadariis communicationibus recensent, quin unquam verba faciant de quibuslibet versus mediterraneum orientale aut versus Marocchium expeditiobibus, excursiones istae periculis scatuissent, immo impossibilis devenissent exiguae classi neapolitanae. Haec etenim de more constabat quattuor (interdum quinque vel sex) triremibus bello maritimo instructis necnon uno altero navigio (*navio, vascello*) militari (16), quibus potissimum praestit-

(12) Iterum Nuntius: 24 nov. 1711. E' tornato qui da Milano il Signor Generale del Mare conte di Fuengalada [*sic*] (Ibid. f.802^v). - Post biennium, mense novembri 1713, praest triremibus « il Signor conte di Foncalada » (Ibid. Albani, vol. 56, f. 98, 99, 106^v). - Sexennio transacto: « A di 4 agosto 1719. La sera. Essendo in questo giorno capitato da Reggio il conte di Foncalada, Generale delle Galere » (Arch. di Stato - Napoli. Notamenti del Collaterale, vol. 127, f.201).

(13) « He tenido igualmente por necesario emplear en esta Corte al conde de Foncalada... y que cesando al mencionado Conde el sueldo y utilidades de General Comandante de las Fuerzas Marítimas del Reyno de Nápoles... goze la cantidad de 18.000 florines al año » (Österr. Staatsarchiv-Wien. Spanischer Rat, vol. 2, Kaiser Karl VI Dekrete, f.276, Viena 30 de oct. 1720; cfr f.279).

(14) A mense sept. an. 1711 usque ad sept. an. 1716 excerptsimus plus quam quinquaginta textus, in quibus Nuntius neapolitanus loquitur de triremibus: puta, de ipsarum itinere, constructione, ducibus, nominibus, et sic porro. Ad vitandam prolixitatem, a citationibus abstineamus. - Cfr. Arch. Vaticano, Napoli, Vol. 144-153.

(15) Venetus legatus seu « residente » saepe non solum de classis navigatione occupatur, sed speciatim oculo vigilis pensitat navium arma seu tormenta bellica horumque teli iactum (*portata*). (Arch. di Stato-Venezia. Napoli, vol. 116, an. 1714-1716, primo gennaio 1714; vol. 119, an. 1719-1720).

(16) Triremis (*galera*) ac navigium (*vascello*) defensioni et offensioni apte instruebantur; his addebanunt naves inferiores simpliciter vectoriae, onerariae aut mercatoriae, quales « tartana », « galeotta », fluka, aliaeque id generis.

tuebantur eiusmodi fines: a) piraticam fraenare in mari tyrrhenico audaciam, b) commeatus (*convoglio*) incolumes reddere, qui sive ex Sicilia, sive per Messinae fretum ex Adriatici oris res frumentarias revehebant, c) commeatus pariter tueri, qui statis temporibus milites ac victualia reportabant versus Caietae (Gaeta) arcem ac praesertim usque ad Etruriae praesidia (Presidî di Toscana), d) expeditiones extraordinarias comitari, aut independenter peragere, quales fuerunt v.gr. visitatio Philippi V Borbonici (17), transmeationes multiplices inter Barcinonem et Neapolim saeviente successionis bello, praecautoria classis neapolitanae navigatio circum Messinae oras, quo tempore « cruciata » evoluebatur contra turcas insulam Corcyrensem (Corfu) obsidentes. Triremes, ut par est, nec semper eadem materialiter subsistebant, utpote quod noviter fabricatae antiquis sufficiebantur, nec idem semper nomen retinebant, duabus speciatim exceptis « La Padrona » et « La Capitana », quibus praefuit D. Iosephus de Liguoro.

Huius clarissimi navarchi auctoritas, qua polluit a die 5 decembris an. 1708, primum exercita fuit sub navigio « Daun » seu « Generale Daun ». Reipsa D. Iosephus maxima amicitia gavisus fuisse portenditur cum pro rege austriaco, cuius cognomine navigium baptizatum aut rebaptizatum fuerat inter alia navigia coaeva: « Santa Barbara », « S. Gennaro », « S. Giuseppe » (18). Navigio itaque « Daun » imperitans D. Iosephus mense aprilis an. 1709 littora ac portus Calabriae clausos tenebat, cum navim mercatoriam ab hebraeis Smirnensibus clam expeditam ipse apprehendit atque Neapolim remulco traxit, non sine magno proregis Card. Grimani oblectamento.

Sub finem eiusdem anni 1709, imperante sibi praedicto prorege Card. Grimani, D. Iosephus commissionem arduam ad felicem exitum perduxit, videlicet commeatum (*convoglio*) extraordinarium convehere usque ad praesidia Etruriae: Orbitello, Porto S. Stefano, Talamone et Porto Longone, quibus subveniendis ipse in navigiis et in lintribus auxiliaribus (*tartana*) portabat militum amina, apparatus bellicos, victualium copiam necnon militarem pecuniae capsam. Ad Orbitelli littus D. Iosephus appulsus nec absque periculo in terram egressus, tormenta navigiorum bellica contra hostes borbonicos collineavit, qui in isthmo Orbitelli castra metati erant. Tum vero, postquam bellico consilio interfuit, praeside Orbitelli hispanico-habsburgico duce D. Bartholomaeo de Espejo, Neapolim proregem de belli cursu edocutus rediit.

Age vero, vixdum mense septembri an. 1711 D. Iosephus novae triremis « La Padrona » gubernaculum suscepit, peractivum se praebuit, tum proregis tutamini consulendo in eiusdem per sinum neapolitanum maritimis excursiobus (19), tum longiores usque ad mare siculum navigationes perficiendo.

(17) A. BULIFON, *Giornale del viaggio dell'invittissimo e gloriosissimo monarca Filippo V*, Napoli 1703, 6.

(18) Alia navigia sequenti decennio vocantur: « S. Leopoldo », « S. Carlo », « S. Michele ». - Prorex comes Daun adeo sibi in neapolitano regno complacuit, ut etiam princeps de Teano vocari satageret: « Debbasi mantenere sempre nella persona e casa del Conte il titolo di principe di Tianò con che la Maestà Sua si è degnato di honorarlo » (Österr. Staatsarchiv. Neapel, Collectanea, vol. 37, Lehén, an. 1711-1743, Daun, 7 dic. 1724).

(19) Sic v.gr. die 22 dec. an. 1711 prorex cum ministris et triremibus se confert ad Porticum (Portici), die autem 28 iun. an. 1712 « usci a diporto con la galera Capitana il Vicerè e Viceregina verso Posillipo » (Arch. Vaticano. Napoli, vol. 144, f.877; vol. 145, f.397). Ut per se patet, eiusmodi excursus, consuetudini aulicae familiares, etiam cum aliis proregibus fieri perrexerunt, at non semper habuerunt D. Iosephum de Liguoro navi-

Ex his una in infrascripto memoriali retinetur, cuius confirmationem item invenimus apud Archivum Vaticanum. Mense equidem iunii an. 1712, quamvis proregis Caroli Borromaei consiliarii ipsum a proposito deterrere vellet (20), D. Iosepho praeceptum fuit ut cum triremibus « La Padrona » et « Santa Elisabetta » commeatum (*convoglio*) navium oneriarum (*tartana*, *galeotta*) tutaretur, quae per Messinae fretum Neapolim ex Apulia reportarent merces frumentarias aliaque id generis subsidia cibaria. Profectus est igitur et ad Tropeae portum accessit, ubi ex proregis mandato praestolari debat totius commeatus redditum.

Contigit autem quod ad aures suas rumor pervenit de quodam navigio trapanensi seu « saetia » (21) piratica insulas ponticas depraedante. Proras duarum triremium versus praedonem convertit navarchus eumque insectatus captivum cum suo navigio Neapolim detulit, addita quadam « tartana ». neapolitana similiter piratica, quam pridie ipse D. Iosephus interceperat. Praedarum summam die 2 iulii describit Nuntius hoc modo: *Saetia* armata erat 11 « pezzi » seu « cannoni » et munita 113 viris « corsariis »; *tartana* vero, 7 « pezzi » et 60 « corsariis » (22).

Eodem vespere, tribus horis e reditu elapsis, portum neapolitanum D. Iosephus deseruit « verso il Cilento », ait Nuntius, id est, versus meridionis littora, probe conscientius esse sui muneric protegere navigationem commeatus ex adriaticis oris iam iam remigraturi. Quae sui officii conscientia « professionalis » gravi periculo impavidum navarchum exposuit.

Etenim, praetergressus cum duabus triremibus promontorium Vaticanum (capo Vaticano), ex speculatoribus intellexit per fretum Messinense lento incessu redire commeatum, quem hostiles quattuor siculae triremes ex sinu panormitano (Palermo) obvenientes aggredi potuissent. His ergo D. Iosephus, usque ad Scillam descendens et Pharam ex adverso positum non metuens, aditum praeclusit, sese cum duabus triremibus contra quattuor siculas ad paelium accingendo. Eminus tamen triremes siculae commeatum insequi maluerunt nec fortunam navalis certaminis ausae sunt experiri: quapropter in neapolitanum portum sese tandem recipere cum sospite commeatu D. Iosephus valuit (23).

Paucis post mensibus cum triremibus ad Etruriae praesidia firmando se contulit, ubi ultra suae commissionis servitia interfuisse quoque D. Iosephus describitur actionibus bellicis, quae obsidionem et expugnationem Portus Herculis atque arcis Montis Philippi praecesserunt; in iis enim palam com-

gationis tutorem. Novum autem casum nuperime invenimus in Archivo Genuensi, de quo breviter in *Appendice* loquemur.

(20) Ibid., vol. 145, f.339. - Ratio timoris ex eo oriebatur, quod ad Calabriae litorea accedebant quattuor triremes siculae « bene armate » et militibus classiariis onustae ex Melita oriundis (*maltesi*).

(21) « Saetia », vox hispanica, qua olim compellabatur navis celer tribus velis ad navigandum concita.

(22) Arch. Vaticano. Napoli, vol. 145, f.411. - Factum bellicum narrat pariter legatus ducis Mutinensis (Modena) die 12 iul. eiusdem anni 1712: « Le due galere nuove in vicinanza dell'isola di Ponza hanno fatto preda di un bastimento di corsaro trapanese armato di dodici cannoni e 130 uomini, che infestavano questi mari ». (Arch. di Stato-Modena. Napoli, Busta 30-31, Carlo Borromeo, an. 1710-1713).

(23) Etiam hunc classis redditum legatus venetus memorat: « 16 agosto 1712. Sotto la scorta dell'avvisate due galere e due navi di questa squadra entrò in questo seno di mare un numeroso convoglio composto di più quaranta tartane provenienti di Puglia col carico d'oglio, formento [sic] et altro » (Arch. di Stato-Venezia, Napoli, vol. 114, sine fol.).

monstravit et animi serenam audaciam et in rebus militaribus experientiam, prout nobilem virum decebat « sanguine ac stirpe ornatissimum », concludit memoriale.

Talis equidem conclusio, die 5 maii an. 1713 subscripta, corollarium logicum novit tribus post annis, cum die 27 iunii an. 1716 D. Iosephus navarchus triremis praetoriae seu « La Capitana » ab imperatore Carolo VI creatus est: creatio supra modum iis in adjunctis efferenda, de quibus die 3 martii eiusdem an. 1716 testatur Nuntius neapolitanus: « Si stà aspettando con ansietà di sapere a chi resta destinata quella [carica] de capitano della Capitana » (23^a). Si ergo publicae anxietati respondit nomen D. Iosephi patritium, sine dubio circum ipsum sanior opinionis pars commentarium favens texuit.

Enimvero gentium animi ideo anxii procedebant, quod clangor bellicus ad arma conclamabat propter ingravescensem turcarum impetum contra Corcyrae (Corfu) insulam. Hic impetus, quo validius retunderetur, coaluerunt ad instar « cruciatae », Clemente XI afflante, classes christianaes, nempe Status Pontificii, Hispaniae, Venetiae, Melitae, Genuae, iisque coadunandas esse sperabant « cruciati » triremes neapolitanas, quarum navis praetoria D. Iosepho de Liguoro commissa erat. Hinc die 16 iunii eiusdem an. 1716 card. Secretario Status communicabat Nuntius neapolitanus advenisse e Vindobona mandatum « di armare questi vascelli e galere contro il Turco di Levante » (24). Profecta quidem fuit ex urbe classis neapolitana ubertim instructa versus meridionales plagas, sic tamen ut eiusdem ductoribus (*capitani*) scopus expeditionis celatus maneret, donec in alto mari proregis litteras sigillatas reserarent. Tunc se mitti didicerunt ad provinciarum meridionalium tutelam contra « corsari barbareschi » (25), potius quam ut se cum « cruciatis » coniungerent, quibus tamen auxilium indirecte ministrabant, dum Messinæ fretum christianis tutum servaverunt: coniunctio vero materialis difficultatibus politicis subiacebat, utpote quae implicuisset naves borbonico-hispanas et habsburgico-neapolitanas (26). Si igitur D. Iosephus, cuius in expeditione praesentia iure praesumitur, usque ad mare Ionium et ad loca proelio navalí viciniora haud accessit, de « cruciatorum » victoria sine dubio gavisus est eisque redeuntibus laudes persolvit, quibus universa Neapolis abundavit.

Nihil ant fere nihil hucusque ex archivis collegimus super D. Iosephi activitate bellica vel professionali, dum praetoriae navis seu « La Capitana » clavum 18 annos continuo gubernavit. Ad bellicas actiones quod spectat, vix fieri potuit quin pluribus ipse non interfuerit an. 1716-1719 circum Sardiniam et Siciliam bello saeviente in mari thyrrenico; in bello siculo, praesertim in Messinæ obsidione constat triremes neapolitanas navesque auxiliares

(23^a) Arch. Vaticano. Napoli, vol. 152, f.200.

(24) Ibid., f.567, 16 giugno 1716.

(25) Ibid., vol. 153, f.87, III.

(26) Legatus venetus compendiatum scribit die 28 iulii an. 1716: « Quattro galere sono partite da questo porto per Gaeta con 360 soldati per mutar presidio; poi anderranno a Reggio, girando così. Hanno commissione di non prendere il minimo impegno quando incontrassero le galere di Spagna... E' giunto ne' giorni passati a questo porto il cavaliere Ventura che deve dirigerle. Quei signori che hanno feudi in Puglia e Calabria mostrano la loro grande apprensione de' Turchi, corrono da' ministri, chiedono d'essere assistiti e protetti » (Arch. di Stato - Venezia. Napoli vol. 116, sine fol.).

efficaciter contra exercitum borbonicum cooperasse (27). Archiva pariter nobis enarrant de supremo navarcho (*ammiraglio*) anglo Bings, cuius in urbe neapolitana transitus provocavit et officialium Viceregni acrimonias (28) et indignationem plebis, existimantis S. Ianuarium an. 1719 a consueto miraculo abstinuisse propter « haeretici » supremi navarchi in metropoli praesentiam (29).

6. - *Aliae navarchi D. Iosephi de Liguoro experientiae profesionales.*

In ambitu stricte professionali aegre intelligitur, quod D. Iosephi vox et consilium directe aut indirecte aberint a Commissione imperiali seu « Giunta dell'Arsenale », quae ab an. 1716 ed deinceps indefesse promovit neapolitanae classis ampliationem ac triremium navigiorumque periodicam renovationem (30); sed fateri cogimur nondum invenisse inter commissarios nostrum navis praetoriae emeritum navarchum (31).

Intra eundem cardinem professionalem componere licet genus aliud activitatis, quod speciatim post an. 1719, pace regno neapolitano restituta, D. Iosephus exseruit, videlicet cum sua navi praetoria honori esse ac praesidio proregi advenienti, abeunti aut regredienti. Servitium quidem plus minusve aulicum, de quo in adventu proregis Card. Schrattenbach exstant expressa documenta, quae D. Iosephum respiciunt; in adventu autem Card. Althann, solummodo indirecta, quae sane magni essent momenti, quandoquidem nobis portenderent D. Iosephum in navi sua excipientem cardinalem hunc, quem in terra depositum, et ad sedile Portaenovae accendentem, salvavat ibidem ex officio S. Alfonsus, a complatearibus delegatus (32).

(27) Arch. Vaticano. Albani, vol. 56, f. 232 ss. - Mense febr. an. 1719 ac mensibus sequentibus triremes et naues vectoriae commeatus reportarunt in oras siculas.

(28) « La venuta dell'ammiraglio Bings promove non poca curiosità... Due galere di questa squadra oggi son giunte assai maltrattate dal mare, e due altre si dice che siano per capitare a momenti. Molto si lagna l'ammiraglio Inglese della condotta del Generale delle medesime Conte de Fuengalada, e sono corse tra di loro delle parole assai acri a riguardo della nota tartana che restò predata a sua vista dalle galere di Spagna. Giunse il Bings ad accusarlo di codardo » (Arch. di Stato-Venezia. Napoli, vol. 119, 11 luglio 1719).

(29) Voluit anglus navarchus processionem S. Ianuarii communius cernere; sed recedere coactus est propter hostilem populi animum, qui Sancti Protectoris indignationem verebatur. Caeterum haeretici sectatores, occasionem nacti bellicae necessitatis, erroris semina spargebant ex praesidio militari apud vicum Pizzofalcone sito. (Arch. Vaticano. Albani, vol. 56, f. 276, 15 aprile 1719).

(30) Testatur neapolitanus Nuntius die 15 sept. an. 1716 quod imperator « ha ordinato una Giunta per l'Arsenale, nella quale sia a capo il Generale delle Galere, e poi immediatamente un Presidente di Camera il più antico ». (Arch. Vaticano. Napoli, vol. 153, f. 280). - De eiusdem in primo triennio activitate, cfr « Bilancio della Regia Giunta dell'Arsenale dal mese di giugno 1719 a tutto maggio 1720 » (Österr. Staatsarchiv. Neapel, Korrespondenz, vol. 74, Fürst Sulmona, an. 1721-1722). Nihil de D. Iosepho de Liguoro, etsi recensentur (f. 42) alii duces: « Conte di Fongalada [sic], generale delle forze marittime, marchese della Vega, capo di squadra de' vascelli, Fra D. Francesco Ventura, capo di squadra delle regie galere ».

(31) Haec Commissio seu « Giunta » suppressa fuit die 30 oct. an. 1728. (Ibid. Spanischer Rat, vol. 5, Kaiser Karl VI Dekrete, an. 1728-1730, f. 149).

(32) « A dì 22 agosto 1719. La mattina. S'uni il Collateralle d'Interregno... S'ebbe l'avviso che comparivano le galee che conducono il Sig. card. di Scrattembach, Vicerè di questo Regno. L'agozzino Reale venne a riferire, che mentre si stava spalmando la galea Capitana erasi rotto l'Albore nuovo; perloché si fece chiamare D. Giuseppe di Liguoro... Venne D. Giuseppe di Liguoro, Capitano della Capitana, ed avendo riferito l'istes-

Eiusmodi publica munia haud vetabant quominus privatis quoque negotiis D. Iosephus sese addiceret, praesertim rem familiarem augendo sive per domorum aut praediorum emptionem, sive per nimirum larias negotiations (33). Triremes enim in sinu neapolitano vel in eiusdem apricis viciniis hiemare consueverunt (34), aestivis autem mensibus atque feriis autumnalibus participes reddebat aulicarum vacationum, sic tamen ut necessitate qualibet resurgente aequora continenter peragrarent, prout D. Iosephus tempore aestivo an. 1731 fecisse docemur (35).

Nec a triremium coetu (*corporazione*) exsulabant nonnullae religiosae manifestationes, quae nobis in alfonsianis annalibus obveniunt, quin earumdem veram radicem discooperire ex indubuis documentis adepti simus, sed devinari tantummodo ex vestigiis prorsus historicis. Quae quidem vestigia persequi et in perspicuas historiae conclusiones reducere committendum esset singulis monographiis post arduam archivorum indaginem exarandis. Duos afferamus casus, quorum primus in interventu sistitur S. Francisci de Hieronymo apud S. Alfonsi familiam, postquam D. Iosephus de Liguoro ex primogeniti Alfonsi nativitate gavisus est. Fieri quidem potuit, ut citatus interventus atque nota filii S. Ignatii super S. Alfonso prophetia personali S. Hieronymi amicitiae cum D. Iosepho tribuerentur; ast eiusmodi amicitia redditur simplicior ac naturali via credibilior, si noverimus Patres Societatis Iesu eiusque in sodalitio Patris Pavone filios spirituales ministeria apostolica obuisse apud regias triremes, non solum erga earumdem duces seu officiales, verum etiam erga remiges et captivos. Liber etenim seu « *Diario* » sodalitii Clericorum SS. Assumptionis, vulgo « del P. Pavone », inter munia sodalibus concedita accenset duo « Prefetti dell'Arsenale », munia utique adimplenda sub directoris afflato ac saepe cooperantibus aliis S. Ignatii alumnis (36). Hinc amicitiae, immo et hierarchiae contactus cum navarcho D. Iosepho, iam inde a primis curriculi sui navalis (« *aventurero* », « *entretenido* ») annis. Hinc quoque, etsi deficiunt documenta directa, rationabilis conjectura de familiaritate D. Iosephum inter ac S. Franciscum de Hieronymo.

Secundum, cui innuebamus, casum reponimus in Sodalitio S. Mariae Redemptionis Captivorum, vulgo « della Mercede ». Quandoquidem eiusdem

so..., se l'incaricò così del disbrigo della galea, come maggior attenzione, acciò li schiavi non fuggissero così facilmente...; e verso le 22 ore... Sua Ema calò a terra ». (Arch. di Stato-Napoli. Notamenti del Collaterale, vol. 127, f. 240). Textus completus legi quoque potest apud S. Alfonso 27 (1956) 106-107. - Similiter die iun. an. 1722 novus prorex Card. Althann exceptus fuit a duabus triremibus neapolitanis (Arch. Vaticano. Napoli, vol. 163, f. 366), quae socias habuerunt quinque triremes Religionis Melitensis (Arch. di Stato-Venezia. Napoli, vol. 120, 23 giugno 1722. - De S. Alfonso ad Card. Althann excipendum delegato, cfr. *Contributi* 45.

(33) Arch. di Stato-Napoli. Prot. Not., Francesco Ant. Palmieri, an. 1715, f. 167, 316. - Instrumenta de emptionibus inter D. Iosephum et D. Nicolaum de Liguoro, peractis annis 1710 et 1715, cfr Ibid., an. 1720, f. 97 ss. Inventarium D. Nicolai de Liguoro, a fratre suo Revmo D. Domenico Episcopo Lucerino signatum, eiusque « D. Pepo » debitum 1.000 duc. constans, cfr *Spic. Hist.* 5 (1957) 239-241.

(34) Die 7 nov. an. 1724 scribit Nuntius: « La nave da guerra S. Barbara, dopo il corso fatto di più mesi contro di legni barbareschi, è passata ad invernare per maggior sua sicurezza nel vicino porto di Baia ». (Arch. Vaticano. Napoli, vol. 168, f.222).

(35) *Spic. Hist.* 5 (1957) 241.

(36) *Diario delle congregazioni pubbliche della Ven.le Congregazione de' Chierici dell'Assunta del P. Pavone*. De hoc *Diario* ac de eiusdem notitiis seorsum agemus.

scopus ad redimendos ex Turcarum ditione captivos christianos collineabat, profecto liquet quantum cordi esse debuit hoc caritatis opus universis triremium officialibus, qui tum pro se, tum pro suis familiis illud confovere satagebant (37). Dolendum sane est, quod antiquum Sodalitii archivum, tempore Patris Tannoia adhuc locuples, nequeat aetate hodierna nos edocere, utrum S. Alfonsi devotio erga B.M.V. de Mercede factum sit personale, an etiam quasi hereditas familialis propter D. Iosephi navarchi cum Sodalitio consuetudinem (38). Illo namque aevo, iisdem fere diebus ac D. Iosephus ad triremes tanquam « *aventurero* » accessit, officiales « *avantagiati* » aliquie ex regia classe, probante Cappellano Maiore, sibi constituerunt mutualitatem seu « *Monte* », cuius ope sive in infirmitate sive in vulneribus ex praelio susceptis auxiliarentur, addito post mortem suffragio quinque missarum de requie (39). Quem quidem spiritum christianaee fraternitatis inter triremium officiales portendit quoque D. Iosephus, cum morti proximus legatum in testamento adsignavit Conservatorio, vulgo « *Visita Poveri* », cui regiae classis duces subveniebant (40).

7. - *D. Iosephi de Liguoro indeoles, qualis ex his documentis emergit.*
Quaedam istius characteris in S. Alfonsi educatione reflexio.

Ex hucusque dictis nova luce emergit D. Iosephi de Liguoro indeoles moralis seu character. Melius: illius animi lineaemta, prius quasi dispersa ex transverso, ad quamdam unitatem aptius reducuntur, praecognitis vitae ipsius experimentis ac passibus. Ex quibus haud ultimum meretur locum orphanitas, cui matre immature praemortua ipse a pueritia subiacuit. Etenim quaedam mentis ac cordis siccitas (ne dicam duritiem), a S. Alfonsi hagiographis illi passim adiudicata, radicem valde probabilem novit in infantiae atque adolescentiae lustris « *sine affectione* » vere matris elapsis. His adde praecocem vitae militari adscriptionem atque fere immediatum

(37) Huiusmodi captivi christiani plerique orti erant ex littoralibus confinibus neapolitanis. Hinc in cathedrali Ravellensi prope ianuam lapis illius aevi legitur: « La Real Casa della Redentione de' Cattivi di Napoli, herede di D. Sebastiano Fenice, pagará ducati 200 a chi riscatterà da' mano de' Turchi ciascheduna persona povera e nativa della città di Ravello, L'Anno dall'Humana Redentione 1682 ». - Character « *regius* » Sodalitii efficiebat, ut saltem saec. XVIII eiusdem « *governator* » a rege confirmaretur: « Alli Governatori della Redenzione de' Cattivi. Proposta al Rè la terna fatta dalle VV.SS.II. degli soggetti di Piazza per occupare il luogo di D. Gius. Carmignano che ha terminato il triennio del suo governo di cotesta Real Casa della Redenzione, si è servita S.M. d'elleggere per governatore D. Nicolò Zurulo [= Zurlo]... Palazzo 24 marzo 1764. De Marco » (Arch. di Stato. Dispacci Ecclesiastici, vol. 311, f. 43. - Ibid., f. 97^v cessat Marchio Guindazzo, de quo alibi iam diximus (*Spic. Hist.* 6, 1958, 275). Ob eundem characterem « *regium* » seu laicum desunt super hoc Sodalitio notitiae in Archivo Curiae.

(38) Huius archivi sectiones antiquiores exhibentur lacunosaee. Praeter hoc Sodalitium existebat quoque illa aetate in ecclesia B.M.V. « della Pietà » aliud nuncupatum « Arciconfraternita de' nobili Uffiziali di Guerra e Marina », cuius Statuta die 31 maii an. 1763 approbationem regiam obtinuerunt, eiusdem vero originem et archivum nondum exploravimus. - Cfr *Regole della Reale Arciconfraternita de' Nobili Uffiziali di Guerra e Marina*, Napoli 1764 (Bibl. Naz. - Napoli. Statuti 27, 6).

(39) Mutuariis Montis sodalibus subveniebatur « in qualsiasi infirmità di febbre, cascata, ferita così combattendo come in altro accidente, fuori però il morbo gallico, così in tempo si viaggerà come ritrovandosi dette galere nel porto... Il Monte sia obbligato a farli assistere il medico, la spatataria. [Alla morte] cinque messe di requiem per l'anima sua » (Arch. di Stato. Cappellano Maggiore, Congregazioni, fasc. 79-2, an. 1687).

(40) Cfr. *Spic. Hist.* 5 (1957) 270 n. 6, 274.

eiusdem inter milites classiarios exercitium. Quod si matrimonium cum religiosissima puella D. Anna Catharina Cavalieri, inter moniales educata (41), quid ei dulcedinis et comitatis adduxit, pristinum suae gentis animum imperiosum seu « volitivum » retinuit, sensu hierarchiae adacto ex quo sibi inunia « responsabilitatis » accredita fuisse intellexit.

Vocatione equidem, non vero amicitia aut favore, in caput navigii, ductorem triremis ac tandem navarchum navis praetoriae successive per gradus ascendit. A prima namque ann. 1708 in triremem « La Padrona » regendam promotione adserebat de illo ac de eius socio Dentice prorex Comes Daun: « Existimo nullos alios his ad haec officia implenda aptiores inveniri posse in universo hoc regno » (doc. I). Adsertum fuisse veridicum comprobarunt eventus. Ex his, triginta fere annorum spatio, eminet D. Iosephus semper idem: impiger, sui in periculo compos, interitus, acri iudicio, conscientiae dictamine tenax; at simul impetuosus, ad iracundiam promptus, maris militiaeque morsibus factus rufus et asper. Hos naturae defectus si extirpare et funditus tollere non valuit, at minuere ac virtutibus christianis temperare non desiit, donec maturioris aetatis consilio iuvante ac sancti filii sui Alfonsi voce exemplisque tandem fulcitus sereno vitae spiritualis pelago ancoras iecit.

Quanam vi seu proportione D. Iosephi character in filii Alfonsi educationem influxerit, manet difficile dictu ac ponderatu. Minoris fuisse pondoris influxum patris quam matris existimamus. Patrem siquidem a foco domestico saepe absentem conspeximus, onerosis suae nauticae professionis curis distentum, operam navando mutationibus politicis ac bellicis insequendis. Ex adverso, mater intra Cappuccinarum monasterium adulta, spiritu fere monasteriali domi propria vixisse fertur, « a theatris et mundanis conversationibus semper aliena, Deo et domesticis negotiis unice vacans, ac potissimum de filiis educandis sollicita » (42). Quod si liberos alii quoque manibus conformandos in Christo mandavit, easdem ipsa selegit inter Patres Philippenses, qui haud dissimilem conformatioinem prioribus e familia Cavalieri adolescentibus, D. Annae fratribus, incuderant. Nihil inde mirum quod S. Alfonsus, quasi sub matris dilectissimae ala usque ad 33 aetatis annum moratus, illius blanditias potius quam patris degustaverit atque laudarit.

Nec eo ipso credas D. Iosephum prorsus abdicasse officium educandi prolem, ac speciatim primogenitum Alfonsum: nedum abdicaret, illud urgere nunquam cessavit modo utique discontinuo, quo fit ut ipsius intervenitus, prout ab hagiographo coaevo atque a traditione narrantur, prae se non-nunquam ferant nescio quid impatientiae aut violentiae. Ecce factum ineuditum: ab infantia filium Alfonsum semel in hebdomada humi somnum capere D. Iosephus iubebat, ne — si militiae unquam ille addiceretur — insuetus laboribus perforendis tentoria frequentaret (43). Similiter ex patris

(41) *Spic. Hist.* 2 (1954) 283-294.

(42) [Tannota], *Della Vita ed Istituto...* I, Napoli 1798, 3 (lib. I cap. 1).

(43) Felix Verzella, secretarius S. Alfonsi Episcopi Sanctagathensis, postquam narravit factum quo sanctum Antistitem, humi cubantem, pedibus impegit, ipse prosecutur: « Dopo due giorni in discorso mi disse che suo padre in tempo della fanciullezza era solito un giorno della settimana farlo dormire a terra, perché nel caso si voleva fare soldato, si trovava avesso al dormire disagiato. Io intesi la cifra, ma non volli darmi inteso dell'accaduto » (Arch. Gen. CSSR XXVI 30).

sui praecepto Alfonsus tres annos musicae artem exquisitiorem (*contrapunto*) didicit apud cappellae magistrum D. Caietanum Grieco (44), quin tamen assere valeamus magistrum hunc fuisse ipsummet, quem simul cum alumno Alfonso D. Iosephus sub clave obclusum quandoque retinuit. Pari ratione militaribus patris moribus consonae fiunt aliae eiusdem reactiones, exortae vixdum ex improviso sese in domum a navigatione quadam recipiebat, puta: lusorias chartas pro libris supra adolescentis Alfonsi mensulam sternere, servum mahometanum sat probabiliter ex proelio captivum addicere servitio personali iunioris patritii (45), eidem iam grandiori alapam magnificam dare, ipsum a prima devotionis semita tantisper devium trahere ad exercitia spiritualia semel atque iterum apud PP. Lazaristas peragenda. Culmen harum reactionum die dominica 29 augusti an. 1723, recurrente imperatricis Elisabethi festo genetliaco, signatur: qua scilicet die D. Iosephus, cum triremibus navigantibus redux, invitatus cernitur caerimoniae proregis aulicae, adeo ut iuxta palatii usus et vigentes nobilium consuetudines nequiret invitationem abnuere aut a « receptione » (*ricevimento*) officiali et a subsequentibus aulicorum oblectamentis abesse; ideo secum voluit in palatio socium filium Alfonsum. Renuit hic, festa mundana perosus: inde patrem inter et filium collusio, amaritudo, discrepantia (46).

(44) Anonymus in Processibus testis, qui de S. Alfonsi pueritia speciatim edoctus videtur, postquam eiusdem magistros nominatim designat (in humanioribus litteris D. Dominicum Bonaccia, in philosophia « un prete molto dotto D. Carminello Rocco »), concludit: « Il padre era portato per la musica e volle ne fosse anche maestro. Tre anni prese lezione di contrapunto dal celebre D. Gaetano Grieco, maestro di cappella » (Arch. Gen. CSSR XXVIII 44-46).

(45) Quoniam nonnullis difficile captu hodie redditur praesentia horum mahometanorum apud familias christianas, ecce quomodo Nuntius vidit triremium redditum, facta captivorum praeda: « 7 agosto 1725 (Gazzetta). Ritornarono al nostro porto dal corso le quattro nostre galere su delle quali hanno portato li schiavi fatti su le consapute quattro galere corsare, ed ora le suddette galere si stanno risarcendo di qualche danno sofferto » (Arch. Vaticano. Napoli, vol. 170, f. 114). - Eorum curam spiritualem, dum in triremibus remigabant, gerebat specialis catechista. Sic an. 1714 inter officiales accensetur « D. Giorgio de Grazia, catechizatore de' Mori di galera » (Ibid. Albani, vol. 51: Stato della rendita del R. Patrimonio di Napoli, f. 37).

(46) Hunc diem, cuius particulares eventus biographis alfonsianis relinquimus, appellavit S. Alfonsus « diem suae conversionis ». Narrationem ineditam sumimus ex relatione legati (*residente*) veneti apud gubernium neapolitanum, Iacobi Busanelli: « 31 agosto 1723. Celebratosi domenica scorsa il giorno della nascita dell'Imperatrice regnante, ne portai, secondo il costume, l'ufficio a questo Signor V.Ré in felicitazione della Maestà Sua, epilogando tutti li voti per la sospirata fecondità, et egli lo accolse e lo corrispose come richiedeva la congiuntura. Festeggiò poi Sua Eminenza [= Card. Althann] la giornata con certa macchina coperta di comestibili, chiamata qui la cucagna, eretta nella Piazza del Palazzo a trastullo e beneficio del Popolo, che verso sera in brevi istanti tumultuariamente la dispogliò. Finito qual fosseri [sic] lo spettacolo, li cavalieri e le dame, che in tali occasioni devono intervenire a Palazzo per debito e sotto il rigore di non lievi pene, vennero trattenuti per qualche ora in giochi e rinfreschi. Ritornate le due galere dall'acqua di Gaeta, senza minima utilità della loro corsa, si sono rimesse in questa darsena ad attendere gl'ulteriori movimenti, che occorressero, ma non s'estenderebbero certamente fuori dello stretto di Messina » (Arch. di Stato-Venezia. Napoli, vol. 121, an. 1723-1724, 31 agosto).

Ceterum super hac D. Iosephi propensione ad iracundiam narratur factum curiosum ineditum, quo navarchus se ipse alapis plectit. « Stando educanda in S. Geronimo D. Maria Vincenza Sersale, enarrat quaedam sanctimonialis, aveva conchiuso matrimonio con D. Ercole. Essendo andato il P.D. Alfonso in S. Geronimo, sua sorella [*relinquitur album nomen, sed agitur de D. Maria Luisa aut de D. Maria Anna*] li presentò la figliuola come sua cognata che doveva essere. D. Alfonso disse: « Non si farà il matrimonio: voi sarete religiosa ». Parve insipida la proposizione, giacché tutto era all'ordine per lo sponsalizie:

Quae sane temporanea aut occasionalia iurgia implicant aliud gravius ac magis diuturnum dissidium idcirco progenitum, quod D. Iosephus filium suum Alfonsum sub matrimonii iugum mittere praedestinaverat. Confluxere proinde pugnâ incruenta, at cordis crux madidâ utriusque anhelitus nobilissimi: patris quidem in altum sese efferentes, ut gentis suae progeniem pro futuro tempore solidarent; filii vero inhiantes, ut in sublimi sacerdotii cacumine pro Christo et Ecclesia conquiescerent. Uterque sane, quo maiorum sanguine et vigore praeditus luctabatur, certamen diu sustinuit, donec divinâ gratiâ mitescens D. Iosephus animi sui fluctus placavit filiumque Alfonsum ad vocationis ecclesiasticae portum concessit appellere. Sibi autem, forsitan tunc inconscius, adparavit patritius navarchus futurum tutum perfugium, quippe qui labentibus annis filii sui sacerdotis manum deprehendit eaque duce in ancoris spei christianaे consistens littora beatae aeternitatis serenus an. 1745 petivit.

8. - *D. Iosephus de Liguoro an. 1734-1735 a triremibus demittitur atque quolibet stipendio iniuste privatetur.*

Ab anno 1720 usque ad 1734 periodum vitae suae auream egisse videatur D. Iosephus, proregum benevolentia electus, inferiorum atque coaequalium aestimatione roboratus, rerum quoque familialium curis distentus, etsi primogeniti Alfonsi vocatione sacerdotali diu amarescens. Sine dubio frui ipsi licuit amicitia et spirituali praesidio cappellani navis praetoriae Rev.mi D. Dominici Pérez, cui post lungos in triremibus servitii annos iustum ab imperatore praemium fuit persolutum (47).

Hanc vero D. Iosephi et rei publicae tranquillitatem fere ex improviso fugavit irruptio Caroli Borbonici, cuius exercitus mensibus vernis an. 1734 ad meridionales Italiae plagas accessit ac Neapoli potitus castella urbis obsidione cinxit. Arduus quoque rerum status pro triremibus in portu neapolitano a classe borbonica praeclusis, quibus imperator praefererat tanquam ducem supremum Marchionem Pallavicini. Eo gravior devenerat bellica anxietas, quod inter navium officiales serpebat tentatio novo principi borbonico adhaerendi. Tum vero die 2 aprilis, noctis tenebris contectus, Marchio Pallavicini quattuor triremes neapolitanas e portu clam aufugere molitus est easque salvas in Messinae fretum transvehere, inde vero in Adria-

fatte anche le vesti e comprate le gioje... La figliuola mutò pensiero e dichiarò volersi far monaca. Fra questo tempo D. Giuseppe Liguori stava colle galere, e ritornando e non sapendo la mutazione della figliuola spiegò a vista del palazzo dei signori Sersale le sue galere per fare una salva alla signorina: e vedendo le finestre chiuse, restò sorpreso, e tutto si schiafeggiò per l'incontro ricevuto. La figliuola fu costante e si fece monaca in S. Gerônimo » (Arch. Gen. XXVII 30; Item XXVI 60).

(47) Cappellanus iste navis praetoriae, cuius nomen infra (doc. VI) praebetur, dignus fuit qui transactis 32 annis in regiis triremibus, crearetur « ad honorem » cappellanus imperialis, et quidem prolixo ac laudativo decreto an. 1724: « CARLOS. Por la divina clemencia... Rey de Castilla, de León, de Aragón, de Navarra, de Granada, de Toledo, de Valencia, de Galicia, de Mallorca, de Sevilla y de las Indias. Por quanto atendiendo en mi Real servicio por espacio de 32 años a esta parte, en que con el empleo de Capellán Mayor de las Galeras del Reyno de Nápoles haveis procurado con mucha aplicación y desempeno adelantar vuestros méritos..., y por las demás circunstancias de virtud y ejemplo y otras buenas partes que concurren en vuestra persona, he resuelto haceros gracia y merced (como por la presente os lo hago) del título de mi Capellán » (Österr. Staatsarchiv. Neapel, Collectanea, vol. 38, Kirchenwesen, int. 6, Pérez).

tica littora perferre. Quibusdam placuit asserere triremes usque ad portum Trieste navigationem perrexisse (48), ast ex documentis archivistis hoc assertum nondum comprobavimus.

Age dum, quaenam in his eventibus participatio D. Iosepho tribuenda maneat, praestituere cum certitudine nequimus. Ex communiter contingentibus et ex subsequenti sui muneris exoneratione conicere licet ipsum, pro sua erga Domum Habsburgicam devotione, sortem propriam cum plerisque triremium officialibus philohabsburgicis commiscuisse. Quamobrem, vixdum novum regimen borbonicum constituit speciale tribunal seu « Giunta dei Segreti », cuius ope factionis habsburgicae sequaces exquirerentur atque a servitiis publicis arcerentur (49), Iosephus inter primas victimas recensitus comparuit ideoque dignitate navarchi expoliatus fuit et quolibet capsae militaris stipendio privatus. Utrum insuper alia ipsum poena plectere ausi fuerint, ignoramus et minus probabile iudicamus. In domum suam itaque non sine animi moerore sese recepit ibique inter suos rei familiari provehendae deinceps consuluit (50), sibi persuadens unum esse Regem Iesum Christum, cui parere et servire regnare est.

DOCUMENTA

N.B. - Transcriptio documentorum est fidelis. Ad lectoris comprehensionem tamen iuvandam, vocabulis hispanicis accentum ortographicum adiunximus, salva remanente vocabulo morphologia. Similiter quasdam abbreviationes aut explicuimus aut ad formam vocabulorum normalem vertimus, ne durior fiat textuum lectio.

I. - D. Iosephus de Liguoro a prorege Daun proponitur et ad interim nominatur ductor triremis, cui nomen « La Padrona » (50^a), Neapoli 3 III

(48) MARESCA, *Alcune notizie di marina del tempo di Carlo Borbone*, Napoli 1894, 3-4, asserit Marchionem Pallavicini triremem unam in portu Nicoterae perdidisse, caeteras usque ad Trieste navigasse. Hunc sequuti tumus in priore articulo (*Spic. Hist.* 5, 1957, 252 n.4). Attamen nuper invenimus legatum venetum narrantem: « 3 aprile 1734. Hieri sera venerdì, alle due della notte, profitando il Signor Pallavicini d'una placidissima calma gli riuscì felicemente di mettere in salvo fuori di questo porto le quattro galere, senza aver avuto a soccombere ad alcun contrasto con le navi spagnuole, che giacevano immobili per la grande tranquillità del mare ». - Et amplius: « 28 maggio 1734. Alle due prime navi che erano state comandate di passar nell'Adriatico, due altre hanno avuto l'ordine di raggiungerle, e tutte quattro resteranno sotto la direttione del capo squadra Albarate. L'oggetto principale è quello d'impedire li sbarchi del Regno » (Arch. di Stato-Venezia. Napoli vol. 127, an. 1734, sine fol.). - Dubium ergo restat utrum cunctae triremes, ac proinde « La Capitana » D. Iosephi de Liguoro, per mare Adriaticum perrexerint usque ad Trieste. De una alterave triremi certo certius videtur ad Trieste accessisse, quatenus in hoc portu die 13 novemboris an. 1734 navarchus triremis S. Elisabeth memoriale subscriptis, quo ipse denegat coram Consilio Bellico exstitisse apud navis officiales propositum factioni borbonicae adhaerendi: « Prendo a mio carico di dimostrare con gli atti del Processo quanto sia ingiusto il sospetto » (Österr. Staatsarchiv. Neapel, Collectanea, vol. 34, Int. 6).

(49) Iterum legatus venetus praecitatus: « La plebe per la maggior parte è affezionata alla Casa d'Austria e si è stabilita una Giunta detta dei Segreti, che inquisisce e castiga a proporzione del trascorso » (Arch. di Stato-Venezia. Napoli, vol. 127, 4 maggio 1734).

(50) Cfr *Spic. Hist.* 5 (1957) 252, 259.

(50^a) Pro uniuscuiusque linguae indole, etsi cum eadem vocabuli significatione, ita-
lice triremis dicebatur « La Padrona », hispanice « La Patrona ».

1708. - Österreichisches Staatsarchiv-Wien. Neapel, Korrespondenz, vol. I, Graf Martinitz - Graf Daun, an. 1707-1708 (Sine foliatione).

En la precisión de poner en estado de servir a la galera Capitana de Nápoles y la galera Patrona he nombrado en ínterim por capitán de la primera a Dn. Luys Dentice⁽⁵¹⁾, cavallero de Sn. Juan, y de la otra al capitán Dn. Joseph de Liguoro, ambos caballeros de Segio de esta Ciudad, y sujetos de muchas experiencias y méritos, y que creo no se pueden hallar mejores para semejantes empleos en todo este Reyno. Y assí suplico a V[uestra] Ma[g]esta[d] se sirva de mandarme remitir las Patentes necesarias a favor de ellos, juzgando será muy del R[ea]l servicio de V. Mag.d el confirmarlos con ellas en dichos empleos.

Dios guarde la C[esárea] R[eal] P[ersona] de V. Mag.d como la Xptd. [= Cristiandad] ha menester.

Nápoles a 3 de marzo de 1708.

El Conde de Daun

(Duplicado)

2. - D. Iosephus de Liguoro constituitur ductor triremis, cui nomen « La Padrona », Neapoli 29 I 1709. - Österr. Staatsarchiv. Neapel, Collectanea vol. 34, Marine, Int. 6, an. 1707-1718 (Sine foliatione).

Dn. CARLOS por la gracia de Dios REY de Castilla etc.

Por quanto en consideración a la aprobación y zelo con que Vos Dn. Joseph Ligoro servisteis por mucho tiempo al Rey Dn. Carlos 2º mi Tío^(51a) con plaza de entretenido sobre la Esquadra de Galeras del Reyno de Nápoles; y a la constante fidelidad que tenéis acreditada en mi R[ea]l servicio en cumplimiento de las obligaciones de v[uest]ra sangre; y esperando que en adelante os desempeñaréis con igual puntualidad y desvelo, he venido en elegiros y nombraros (como en virtud de la presente lo hago) por Capitán de la galera Patrona de la Esquadra del Reyno de Nápoles, dándoos y concediéndoos los honores, sueldos, raciones, preeminentias, autoridad, prerrogativas, immunidades y exenciones que por razón de este empleo os tocan y pertenezen, y tuvieron y gozaron todos v[uest]ros predecesores en él bien y cumplidamente, sin que se os falte en cosa alguna. Por tanto mando a todos los

(51) D. Aloysius Dentice, cui post annos suffectus est in regenda navi praetoria D. Iosephus de Liguoro, comparet Vindobonae die 22 oct. an. 1714 (Arch. di Stato-Napoli. Consiglio di Vienna, Consulte, an. 1713-1718, sine fol.). - Huius cognominis duplex inventur familia sedilibus neapolitanis adscripta: « Dentice del Pesce », sedili Capoanæ Portæ, « Dentice delle Stelle » sedili Nido (TROVLI, Istoria IV 123-125).

(51a) Carolus II Hispaniae, patruus Caroli imperatoris.

oficiales mayores y menores que al presente sirven y en adelante sirvieren en la referida Esquadra de Galeras os ayan, tengan, traten y reputen por Capitán de la referida galera Patrona, y os guarden y hagan todas las preeminencias y demás cosas que legítimamente os pertenezen; y a todos los oficiales subalternos a vuestro empleo quo os acaten y respeten y obedezcan sin réplica ni dilación alguna las órdenes que de mi servicio les diereis por escrito y de palabra. Y que formándoseos el Asiento(52) que os corresponde como Capitán de la galera Patrona de la Esquadra de Nápoles se os libren y paguen en la forma y tiempos acostumbrados el sueldo y razones que os pertenezen y huvieren gozado v[uest]ros antecessores en dicho empleo: Que assí procede de mi R[ea]l voluntad. Y que de la presente se tome la razón en las partes donde tocare.

Dada en B[arcelo]na a 29 de Henero de 1709.

[*Ad folii dorsum additur :*] 29 Hen.^o 1709. Patente de Capitán de la galera Patrona de Nápoles a Dn. Joseph Ligorio.

3. - D. Iosephus de Liguoro evehitur ad navarchi gradum superiorem, dum praeficitur triremi cui nomen « La Capitana », Neapoli 27 VI 1716.
- Ibid.

Dn. CARLOS etc.

Teniendo en consideración que es justo a la aprobación y zelo con que Vos Dn. Joseph Liguoro, actual Capitán de la galera Patrona de la Esquadra de mi Reyno de Nápoles, havéis servido por espacio de muchos años en calidad de aventurero, y a las repetidas pruebas que tenéis dadas de v[uest]ra fineza y fervorosa aplicación a mi R[ea]l servicio desde el año 1707 que os fué asentada la Plaza de Capitán [de] Infantería, y de la galera Patrona en dicha Esquadra, haciendo muy cabal desempeño en los comboyes y funciones que se han ofrecido, en que havéis acreditado v[uest]ra prudente y acertada conducta; esperando que en adelante continuaréis vuestro mérito con iguales veras. He venido en elegiros y nombrarlos (como

(52) « Asiento » vox hispanica, quae in hoc casu valet idem ac « scheda » professionalis singulis triremis membris adiudicata, ex cuius effectu stipendium unicuique solvebatur, respondens « sedi » seu muneri hierarchico intra ministerii navalis agmina. Ceterum modus loquendi in his documenti viennensisibus usitato cohaeret cum sermone quem Michaël de Cervantes, miles clarissimus, mutuum cedit pediti ad arma sub vexillum proficiscenti: « Voy... hasta alcanzar unas compañías de infantería..., donde asentaré mi plaza... ¿Y lleva vuestra merced alguna ventaja?... Del tinelo suelen salir a ser alférez o capitanes o con algún buen entretenimiento...: gente de ración y quitación...: sería tenido a milagro que a un paje aventurero alcanzase alguna siquiera razonable ventura » (*El ingenioso Hidalgo Don Quijote de la Mancha* II c. 24).

en virtud de la presente os elijo y nombro) por Capitán de la galera Capitana de la Esquadra de mi Reyno de Nápoles, que está vacante por el pasage de Dn. Luis Dentice al empleo de castellano de Taranto (53), dándoos y concediéndoos etc.

[in folio adnexo:] Viena a 27 de junio 1716. Patente de Capitán de la galera Capitana de la Esquadra de Nápoles a favor de Dn. Joseph Liguoro. — Consultado.

Relatio praecedenti documento adnexa, qua sub fide Exc.mi D. Iosephi Cavalieri enarrantur res pro familia habsburgica gestae a DD. Alfonso, Domenico et Iosepho de Liguoro, proavo, avo et pâtre S. Alfonsi respective.

RELACION DE LOS SERVICIOS DEL CAPITAN DE CAVALLOS CORAZAS ALFONSO DE LIQUORO, CAVALIERO NAPOLITANO DEL SEXO [=seggio] DE PORTANOVA, Y LOS DEL CAPITAN DN. DOMINGO DE LIQUORO, SU HIJO, SACADA DE SUS PAPELES ORIGINALES QUE PARA ESE EFECTO HA PRESENTADO SU HIJO DN. JOSEPH DE LIQUORO, CAPITAN DE LA GALERA PATRONA DE LA ESQUADRA DE ESTE REYNO, NIETO Y HIJO RESPECTIVE DE LOS SOBREDICHOS CAPITANES, POR PERTENEZERLE DICHOS SERVICIOS RESPECTO A HAVERSELOS CEDIDO Y RENUNZIADO, PRECEDENTE PUBLICO INSTRUMENTO, EL SOBREDICHO DN. DOMINGO SU PADRE, SEGUN CONSTA POR FEE DEL NOTARIO ANIELLO NAPOLITANO, QUE EN ELLOS HA EXIVIDO [sic] EN LA SECRETARIA DE ESTADO Y GUERRA DEL GOVIERNO DE ESTE REYNO, Y LOS DE DN. JOSEPH SOBREDICHO.

Consta que el referido Alfonso de Liguoro en virtud de patente que le dió el Sr. Duque de Medina de las Torres siendo Virrey de este Reyno (54) en primero de noviembre del año mill' seiscientos quarenta y dos, teniendo consideración a que Dn. José Antonio de Liguoro su padre se hallava sirviendo de Capitán de Guerra de la isla de Nisita [=Nisida], fué nombrado por Capitán de cavallos Corazas de la leva que se formó por servicio de S.M. por el conde de Chelano, con la qual passó a servir en el Estado de Milano y lo continuó el dicho Alfonso con su compañía hasta veinte y nueve de mayo del siguiente año mill' seiscientos quarenta y tres, que

(53) D. Aloysius Dentice promotus erat ad munus «castellani» Tarantini die 27 martii eiusdem anni 1716. (Archivio di Stato-Napoli. Supremo Consiglio di Vienna, 1.c.) In eodem folio committitur navigium «S. Barbara» Comiti Dietrichstein, adjuncto D. Philippo Mexia de Pedraza tanquam «sototheniente» [sic]: evidens exemplum collaborationis inter officiales ex diverso coetu nationali selectos.

(54) D. Ramirius Philippus de Guzmán, «duca di Medina de las Torres», viceregnum gubernavit ab an. 1633 ad 1644 suique nominis memorias reliquit, inter alia monumenta, «Porta Medina» et «Fontana Medina» (TROVLI, Istoria V, parte 2, Napoli 1753, 301-303).

con licenzia del Sr. Conde de Silvela, Gobernador de aquel Estado, se volvió a su casa.

Por carta que el Secretario Gregorio de Leguía al enunciado capitán en veinte y seis de octubre de mill' seiscientos quarenta y ocho desde Messina le refirió que haviendo recibido el Sr. Dn. Juan de Austria (55) un despacho de S.M. con una lista de algunos caballeros de la Nobleza de Nápoles, que se señalaron con fidelidad y valor en las ocasiones de los movimientos populares del Reyno, y particularmente en la del día seis de Abril (56), y ordenando S. M. a S[u] A[lteza] que llamando a cada uno de por sí manifestase a boca la satisfacción y gratitud con que S.M. quedava de tales procedimientos y lo presente que los tendría para honrrarlos, y que él era una de las personas que incluhía la lista, le mandava S. A. que en su nombre hiziese estas demonstraciones, juzgando bien empleadas en su persona (por lo que havía merecido) y sintiendo S. A. no poderlas hazer vocalmente como Su Mag[esta]d se lo mandava.

SIGUENSE LOS SERVICIOS DEL CAPITAN DN. DOMINGO DE LIQUORO Y DN. JOSEPH DE LIQUORO SU HIJO.

Por fees de oficios consta que el referido Dn. Domingo de Liquoro assentó de capitán de una de las compañías de Infantería Napolitana del Terzio (57) del Maestre de Campo Dn. Jacinto Suardo en virtud de Patente que le mandó dar el Sr. Dn. Pedro de Aragón, siendo Virrey de este Reyno en veynte y dos de octubre del año mill' seiscientos sessenta y seis, y que con ella passó a España embarcado en los Navíos que salieron de este Puerto en quatro de mayo del año siguiente, pareciendo por fee de oficios del contador Andrés Campero, su fecha de ocho de febrero de mill' seiscientos sessenta y ocho, que sirvió seis meses y dos días en la Armada del Mar Occéano y que se embarcó en ella siendo Capitán

(55) D. Ioannes de Austria, regis Philippi IV filius, nondum ventennis assumpsit vice regni habenas quo tempore in urbe neapolitana fervebant politicae perturbationes, quibus niti conatus est « Henricus de Lorena Dux Reipublicae Neapolitanae », sicuti nummi an. 1648 cusi proclamarunt. (TROYLY, l.c. 311).

(56) Diebus 5-6 aprilis an. 1648 commotiones populares sedatae sunt, et dux de Lorena seu de Guisa fugae se dedit ex insula Nisida, ubi castra sua fixerat. TROYLY, l.c. 319.

(57) « Tercio » est hispanicum vocabulum, quo olim designabatur sive peditum agmen completum (*reggimento d'infanteria*) sive specialis cohors militum, qui in triremibus dimicabant. Exstitit sane phalanx, quae dicebatur « Tercio de Nápoles », cui accensebantur milites ac duces neapolitani. Scribebat Nuntius die 5 iunii an. 1703: « Sentesi che si farà una nuova leva in questa città per haver soldati di poter reclutare i terzi napoletani, che militano in Lombardia » (Arch. Vaticano. Napoli, vol. 132, f. 610).

del Tercio de dicho Dn. Jacinto Suardo, y se halló en los últimos viajes que hizo la Armada el año de mill' seiscientos sessenta y siete en las costas de Portugal; y hasta que haviendo pedido licenzia en Cádiz por dos meses al Capitán General para hir al Reyno de Aragón a ajustar algunos intereses que requerían su assistencia, se la concedió en nueve de Febrero mill' seiscientos sessenta y ocho, con que se retiró a su casa, pareciendo que S. M. en consideración de los dichos servicios se sirvió concederle cincuenta escudos de entretenimiento al mes sirviendo en las Galeras de este Reyno, según se reconoce de septiembre del año de mill' seiscientos y noventa.

Y que el de mill' seiscientos noventa y dos hallándose en Barcelona presentó en los ofizios de las Galeras deste Reyno otro Real Despacho de diez y seis de Julio del mismo año de que se pasasen en caveza del dicho Dn. Joseph de Liguoro su hijo los referidos cincuenta escudos de entretenimiento al mes, los quales consta por fee de Vehedor (58) de dichas Galeras se le sentaron en dicha ciudad en veinte de Agosto siguiente, respecto de que se hallava sirviendo sobre la galera Capitana como Aventurero, haviéndole cessado desde el mismo dia al dicho su padre, y que desde entonces ha continuado a servir con el referido entretenimiento hasta veinte y cuatro de Diciembre del año mill' setecientos y siete, assentó la Plaza de Capitán de Infantería Española y de la galera Patrona de esta Esquadra, que el Sr. Virrey Conde de Daun le confirió con Patente de veinte y tres del mismo, en atención a su mérito y servicios de sus antepasados, y representó a S.M. en carta de tres de Marzo mill' setecientos y ocho, que esta provista havía recaído en sugeto de muchas experiencias y mérito, que crehía no se pudiera hallar mejor para este empleo en todo el Reyno, pidiendo a S.M. se dignase confirmar en él [al] referido Dn. Joseph de Liguoro, y mandarle remitir la Patente necesaria (59).

Presenta un villette del Sr. Virrey card. Grimani en data de cinco de Diciembre mill' setecientos y ocho en que le hizo mrd. [=merced] del empleo de Capitán de Mar y Guerra del navío Daun, que estaba a cargo del cavallero Palavicino.

Y otro del mismo Sr. Virrey en fecha de ocho de Henero mill'

(58) «Vehedor» et «Veheduria» (hodie «Veedor» et «Veeduria») erat dux militaris cum apposito officio, cui partes demandabantur inspectionis et comprobacionis in iis, quae ad militum adscriptionem et dimissionem spectabant, intuitu praesertim praemiorum ac stipendiiorum.

(59) Prorex Comes Daun, qui hos honores D. Iosepho procuravit, bis neapolitano regno praefectus est, nempe an. 1707-1708 et 1713-1719; Card. vero Grimani an. 1708-1710.

setecientos y nueve, en que le nombraria por comandante de los Navíos que se hallavan y hallasen en este Reyno.

Por un certificado de Joseph de Lescano, oficial de viage de la Escrivania y Veheduría de las Galeras, consta que en el mes de Abril de mill' setecientos y nueve el referido Dn. Joseph, con el referido Navío de su cargo, apresó en las costas de Calabria una nave de mercanzía que venía de Smirne, expedida por los ebreos de aquel lugar, la qual condujo aquí y se valió de ella la Corte.

Por una Instrucción del Sr. Virrey card. Grimani en data de veinte y seis de Noviembre mill' setecientos y nueve parece se encaminó a los Presidios de Toscana con los demás Bajeles, una Tartana cargada de pólvora y el navío Prasca (60) con Infantería y municiones de Voca y Guerra para desembarcarlo en el Puerto de Sn. Esteban, conduciendo tamvién una Caxa con seis mill' escudos, los quales havía de entregar y entregó al General D. Bartholomé de Espejo, comandante de la Plaza de Orbitello, expresándose en dicha Instrucción havía de ejecutar todas las órdenes que dicho General le diese; y que se havía de mantener allí con todos los Navíos hasta que el mismo los despidiese. Por carta del dicho General en data de ocho de Diciembre mill' setecientos y nueve parece le ordenó que al día siguiente se hallase en aquella Plaza con los demás capitanes para hacer un Consejo de Guerra sobre las importantes materias que se devían resolver del servicio de Su Mag[esta]d.

Por un Despacho de dicho Sr. Virrey card. Grimani en data de treinta de Diciembre de mill' setecientos y nueve parece que haviéndole dado cuenta el referido Capitán Dn. Joseph de Liguoro con cartas de seis del mismo lo que havía ocurrido al tiempo que hizo el desembarco de la gente para refuerzo de aquellos Presidios, infestando con su artillería y la de los demás Navíos a los enemigos que se hallavan acampados en la lengua de tierra que divide el mar del lago de la Plaza de Orbitello, expresando tamvién la desgrazia sucedida de haverse arrenado^[sic] el bajel del capitán Persico, del cual estaba sacando el trigo que se pudiese recobrar, le respondió que quedava con notizia de todo, y que no dudava se aplicaría

(60) Hoc navigium «Prasca» occurrit saepe legenti communicationes diplomaticas huius periodi (Arch. Vaticano. Napoli, vol. 145, f. 31, 240). Agebatur de navigio (*vascello*) genuensi, cuius proprietarius D. Benedictus Prasca adlaborabat, pretio conducto, pro neapolitano Viceregno. De eiusdem navigii potentia die 1^a ianuarii an. 1714 legatus venetus asserebat: «Vi è di poi la nave del capitano Prasca, che è a soldo di questo Regno, e di 60 pezzi [cannoni], aggiustatala da nuovo, ma è vecchia» (Arch. di Stato-Venezia. Napoli, vol. 116, sine fol.). Item alii fontes: «E' arrivato in Baja il vascello Prasca» (Arch. di Stato-Modena, Napoli, Busta 30-31: Carlo Borromeo, 5 agosto 1712).

siempre a quanto fuese de servicio de S.M., quedando Su Em.^a con el cuidado de dar providencia sobre las embarcaciones de remo que se solicitavan.

Presenta tamvién Patente de Su Mag[esta]d en data de veinte y nueve de Henero mill' setecientos y nueve en que le hace mrd. [=merced] del empleo de Capitán de la Galera Patrona de la Esquadra de este Reyno.

Haviendo encargado S.E. el Sr. Virrey conde Carlos Borromeo en el mes de Junio del año prox' [=próximo] passado al referido Dn. Joseph saliese con la galera Patrona y la Sta. Elisabetta la vuelta del Faro de Messina para comboyar las Tartanas que havían de hir a cargar a la Pulla y escortarlas a su vuelta para que no diesen en manos de los enemigos que estavan aguardando las quatro galeras enemigas de Sicilia, en medio de todo eso hallandose en Tropea esperando las notizias de que volviesen las Tartanas de los cargadores de Pulla, tuvo la de que en las aguas de Ponze cometía ostilidades una Saetía(61) corsaria trapanesa, volvió la proa a aquella vuelta seguido de la galera S.ta Elisabetta y logró después de algunos cañonazos el cogerla juntamente con la tartana napolitana corsaria, que el día antes havía apresado, y conduiéndolas a esta ciudad en el tiempo de tres horas volvió a tomar su derrota la vuelta del Faro. Y en el dia diez y seis de Julio navegando entre el Cavo de Vaticano y el Faro descubrió que desembocava el conboy de las Tartanas, le fué a encontrar hasta Scilla seis millas distante del Faro, y aunque en su seguimiento navegaron las galeras de Sicilia no se atrevieron de atacar las referidas Patrona y S.ta Elisabetta que al lado hivan del conboy, que felizmente le condujo a esta ciudad.

Haviendo ex[ecuta]do tamvién el viage con las demás galeras a los Presidios de Toscana con la ocasión del sitio y toma de la Plaza de Puerto Hércules y fuerte de Montefelipe, en donde acrediò su valor y experiencia, muy correspondientes a su conocida calidad y sangre, por lo que le consideran todos muy digno de las mercedes que la Imperial Clemencia de S.M. C[esárea]y Catt.ca fuere servido dispensarle; y hoy día de la fecha de ésta queda sirviendo su empleo de Capitán de la Galera Patrona de esta Esquadra con el mismo zelo y aplicación.

Saccósse de sus papeles originales, de que certifico yo Dn. Joseph Cavalieri del Consº de Su Mag.d Cess^a y Catt^a en el de

(61) Cfr supra nota 21.

S.ta Clara; su Secretario de Estado y Guerra en el Govierno de este Reyno.

Nápoles a 5 de mayo de 1713.

Adest sigillum

D. JOSEPH CAVALIERI

Extracta est praesens copia a suo originali mihi exhibito ab Ill.mo D.no D. Joseph de Ligoro pro facienda praesente, et eidem restituo: cum quo facta collatione concordat meliori semper salva, et in fidem ego Notarius Franciscus de Urso de Neapoli signavi requisitus.

Adest subsignatio

Nos infrascripti publici et Regij Notarij huius Fidelissimae Civitatis Neapolis fidem facimus atque testamur supradictum Mag[nifi]cum Franciscum de Urso de Neapoli, qui supradictam extractam in supradicta copia, eius propria manu, literatura et signo fecit, fuisse et esse talem qualem se fecit publicum Regia authoritate Notarium fidelem atque legalem omnibusque eius scripturis tam publicis quam privatis in judicio et extra semper adhibitam et de praesenti plenam et certam adhiberi fidem: in quorum fidem nostris propriis nominibus subscrispsimus et signavimus Neapoli die 15 mensis decembbris 1714.

Ita est, et in fidem Ego Ita est, et in fidem Ego Ita est, et in fidem Ego Not. Alexius Califanus Not. Joseph de Bonocorde Neapoli requisitus re de Neapoli requisitus resignavi. [Adest sigil- signavi. [Adest sigillum] requisitus signavi. [Adest sigillum]

4. - Rumores sparguntur de ascensione D. Iosephi de Liguoro in munus praefecti arcis protégentis oppidum et sinum Baia, Neapoli 16 IV 1717.
- Ibid. Neapel, Korrespondenz, vol. 54, Graf Daun, an. 1716-1717 (Sine foliatione).

Señor mío:

Aquí se ha esparcido una noticia de que haviendo renunciado el Cor[one]l Dn. Luys Domínguez el empleo de castellano del castillo de Baya, se haya conferido a Dn. Joseph de Liguoro, Capitán de la galera Capitana, y que en esta se haya colocado a Dn. Joseph de Zisneros (62). Aunque supongo que no tenga subsistencia alguna, porque no se me ha partezipado nada sobre ello, con todo

(62) D. Iosephus de Cisneros praeditus fuisse videtur acri indole, etsi ad praeium strenua. Anno 1712, dum navigio « S. Barbara » praerat, e Neapoli Barcinonem petit quin naves auxiliares (*tartana*) in portu Mahón apricatas secum duceret: quamobrem marchio de Rialp scribebat: « Mala fama tienen los patrones napolitanos en la resolucion de salir al mar, y no sé si tienen ganancia en lo que se detienen, pues oigo que con dificultad dejan el puerto adonde se acostan [*sic*] » (Arch. di Stato-Napoli. Esteri, Correspondencia de Italia, an. 1711-1712, Secretaria del marqués de Rialp en Barcelona, 17 dic. 1712). Anno 1710 Cisneros regit trireme « S. Filippo » (Arch. di Stato, Cedole della R. Tesoreria, Cassa Militare, vol. 535, an. 1710, sine fol.). - De alia eiusdem navigatione ad Barcinonem an. 1711 scribit Nuntius (Arch. Vaticano. Napoli, vol. 144, f. 822, 882).

eso devo anticipar a la noticia de V.S. que hallándose sirviendo el empleo de Capitán de la galera Patrona Dn. Francisco de Secada (63), que era capitán de la galera Capitana de España, oficial de tan conocidas prendas y merito en la Marina, como no lo dejará de tener presente V. S[eñoría], y que si fuere cierto sería desmayar a todos, particularmente por no concurrir en el capitán Dn. Joseph de Zisneros el mérito que quiere hacer creer a los ministros de esa Corte, como lo representé con mi sólita ingenuidad en la ocasión del informe que se me pidió tocante a todos los oficiales de la Marina antes de formarse el Reglamento de ella; y me califica en la creencia de haver hecho concevir concepto en ese Ministerio, el último despacho con que se ordenó que al referido Dn. Joseph se le pague por entero su sueldo y ventaja, con distinción a la orden general que para los demás oficiales de mucho mayor merito, afín de que V.S. haga el uso que le pareciere más propio para el mejor servicio del Augustíssimo Amo.

Dios g[uar]de a V[uestra] S[eñoría] m[ucho]s a[ño]s como deseo.

Nápoles a 16 de abril de 1717.

B[esa] 1[as] m[anos] de V.S.
su mayor servidor
El Príncipe Conde de Daun.

Sr. Marqués de Rialp.

5. - Praecitati rumores super D. Iosephi de Liguoro promotione ad munus castellani declarantur fundamento destituti, Neapoli 21 V 1717. - Ibid.

Marchio de Rialp, praeses Supremi Consilii Vindobonensis res italicas gerentis, respondit proregi neapolitano praeftatos rumores super D. Iosephi

(63) D. Franciscus de Secada post quinqueannum recepit munus intendentis generalis seu « cuatralbo » totius classis neapolitanae: « Habiendo S[u] M[ajestad] C[atólica] C[esárea] concedido al capitán D. Francisco Secada, que lo es de la galera Patrona, el empleo de Cuatralbo de las galeras de esta Escuadra, me manda el cardenal mi Señor decir a V[uestra] m[erced] disponga que se le ponga en posesión del citado empleo, sin embargo de que no se haia presentado el título del despacho de tal. Dios g[uarde] a V.m. - Palacio 13 de febrero 1713. Antonio Díaz y Guevara.

Sr. Capitán de la Galera Capitana.

[*Adnexum folium*]: « Désse orden para que al capitán de la Galera Patrona D. Francisco Secada, a quien Su Mag.d se ha dignado de hazer merced del empleo de quatralbo de las Galeras, se le ponga en posesión de dicho empleo, sin embargo que no se haia presentado el título del despacho de Su Mag.d.

Ex[ecutado] en 13 feb.º 1713. - Se ha de dar esta orden a los oficios marítimos (Arch. di Stato. Carte de' Vicerè, n. 1620, febbr. 1723, sine fol.). - Adnexum folium affertur autographum ipsius Francisci de Secada, quo die 22 febbr. an. 1723 ipse proponit proregi nominationes nautarum (*piloti*). Interea ipse ad superiorē gradum ascenderat: « Una patente Jefe de Esquadra de Galeras de Nápoles a favor del capitán D. Francisco de Secada. Consultado » (Österr. Staatsarchiv. Spanischer Rat, vol. 13bis, Despachos, an. 1721-1734, f. 83v, 23 Henero 1723).

promotione nullo niti fundamento ac proinde mutationes in triremibus regendis haud praevideri, de quo comes Daun et gavisus est et gaudium suum pandere voluit sequenti litterula ad marchionem de Rialp data:

He visto lo que V.S. me dice tocante a lo que escriví perteniente a Dn. Joseph de Zisneros y Dn. Francisco de Secada, y ya que no es cierta la promoción de Liguoro no dejará de aprovechar a la justicia que asiste a Secada el haver comunicado a V.S. mi sentir como a uno de los ministros de los que devo hazer toda confianza y que en ocasiones podrá hazerlo presente al Augustíssimo Amo.

Nápoles 21 de mayo de 1717.

El Príncipe Conde de Daun
Sr. Marqués de Rialp.

6. - D. Iosephus de Liguoro eiusque gradus militaris intra cardinem quatuor triremium neapolitanarum, 1717. - Ibid. Neapel, Collectanea vol. 34, Marine, Int. 5 (Sine fol.).

Exstat in eodem Archivo Status Vindobonensi, annis 1717-1734 adiudicata, *Relatio officialis* qua pro singulis quattuor triremibus exhibentur nominatim duces supremi atque inferiores, eorum stipendia ac munera. Ex quibus nonnulla dumtaxat excerpimus, quae aptius nobis referunt personam D. Iosephi de Liguoro.

| <i>Galera Capitana</i> | <i>Soldo il mese</i> | <i>Importa l'anno</i> |
|--|----------------------|-----------------------|
| D. Giuseppe de Liguoro, Capitano con il grado di Tenente Coronello | 55 | 440 |
| D. Giacomo Padovani, Capitano Tenente | 25 | 200 |
| D. Gaetano Martinez, Sottotenente | | |
| D. Domenico Perez, Cappellano Maggiore | 20 | 160 |

[*Sequitur elenches nominativus*: 3 consiglieri, 4 artiglieri, 2 aggiutanti d'artiglieri; 8 timonieri, 2 marinai di Fleccia, 28 marinai, 8 prodieri].

Galera Padrona.

| | | |
|--|----|-----|
| D. Pietro Messía e Pedrazza, Capitano con il grado di Tenente Colonnello | 50 | 400 |
|--|----|-----|

Galera S. Elisabetta.

| | | |
|---|----|-----|
| D. Dionisio Lasso de la Vega, Capitano con il grado di Tenente Colonnello | 45 | 360 |
|---|----|-----|

Galera S. Carlo.

Frà D. Carlo Campitelli, capitano senza esercizio, giubilato d'onore di S.M. pagandosele il soldo durante il tempo di sua vita

45

360

Frà D. Giuseppe Perrelli, capitano con il grado di tenente coronello serve senza soldo né razione, e dopo la morte del sud. D. Carlo subentra al soldo.

In alia relatione posteriore, die 10 sept. an. 1727 data, subduntur nomina quaedam collaboratorum D. Iosephi de Liguoro in hunc modum: « Galera Capitana ». D. Felippo Belanno, capitano aggregato (64). - D. Giuseppe Truglios, id. - D. Giuseppe Martínez serve di timoniere d'ordine del Sig. Viceré ». Generatim dici potest, si ex cognominibus allatis diiudicamus, permixtos in triremibus collaborasse viros hispanos atque neapolitanos, quibus interdum germanici adiunguntur.

7. - De triremibus Capitana et Patrona quaedam adnotaciones. - Ibid.

Quoniam D. Iosephus de Liguoro lungos annos his triremibus praefuit, iuvat quasdam subdere notitias eiusdem archivi Vindobonensis super numero et qualitate nautarum et navalium militum. Praemonemus praedictas naves haud mansisse hac periodo materialiter easdem, sed pro earum vetustate ac consummatione substitutas fuisse, retento semper eodem nomine.

1. - *Galera Capitana.* - Questa Galera ha per sua dotazione 105 persone di capo, quali godono una sola razione per uno: dunque saranno al giorno 105 razioni. Quali alla raggione d'oncie 24 di biscotto... sono ogni giorno oncie 2.520. Questa galera ha per sua dotazione 400 forzati, quali godono indistintamente una razione l'uno. Dunque saranno al giorno 400 razioni. Quelle alla raggione d'oncie 30 di biscotto; sono ogn'giorno oncie 12.000 » [...]

2. - *Galera Patrona.* - Relación de la gente de Mar y Guerra que deve tener de dotación fixa la galera Patrona de 26 a 27 bancos, segùn el nuevo Reglamento, con el importe del sueldo al mes y razones al día.

I Capitán de Mar y Guerra con el sueldo de cincuenta y cinco escudos al mes y una razón diaria.

I Capitan Theniente con veinte escudos etc.

(64) D. Philippus Belannu seu Belando, genuensis, longum processum subiit an. 1717 propterea quod ipse, criminosa passione irretitus cum D. Rosa Mestres, uxore nautae (*timoniere*) D. Didaci Martínez, hunc veneno uccidere ausus est (Österr. Staatsarchiv. Neapel, Collectanea, vol. 39, Justiz an. 1717-1735, Int. 1). - In causa instruenda tanquam commissarius adjunctus vocatus fuit D. Josephus Cavalieri, S. Alfonsi avunculus, qui tamen sese excusatum praebuit ob amicitiam, quam cum reo Barcinone strinxerat (Ibid., an. 1717: Processo fabbricado contra D. Felipe Belando y Da Rosa Mestres, f. 183-184).

- 1 Alférez con doze.
- 1 Sargentu con cinco.
- 1 Tambor con tres escudos.
- 3 Cavos de esquadra con quatro.
- 8 Granaderos con dos escudos y medio.

Gente de Mar: 1 Capellán con quince escudos. - 1 Patrón. - 1 Piloto. - 2 Consejeros. - 1 Cómite. - 1 Cómite de mediana. - 1 Sotocómite. - 1 Ziruxano. - 1 Alguazil. - 1 Sotoalguazil. - 6 Timoneros. - 2 Marineros de flecha. - 22 Marineros frescos. - 6 Proheles. - 3 Artilleros. - 2 Ayudantes artilleros. - 1 Maestro de Axa. 1 Cañonate. - 1 Botero. - 4 Mozos de las Maestranzas. - Chusma. 320.

APPENDIX I

super « alcanzi », qui D. Iosepho de Liguoro solvebantur.

Quamvis rem parvi momenti iudicamus, notulam subiungimus de quodam D. Iosephi de Liguoro servitio, cuius naturam et significationem nondum cum certitudine adprehendimus. In Archivo Status neapolitano (Cedole di R. Tesoreria. Cassa Militare, 1711) legimus: « A 18 d° [luglio]. Al capitano D. Giuseppe de Liguoro, che lo è della galera Padrona, in conto de' suoi alcanzi: 200 [ducati]. Et iterum: « A 12 d° [ottobre]. Al cap. D. Giuseppe de Liguoro in conto de' suoi alcanzi: 100 [ducati] ».

Quaenam fuerit huius vocabuli significatio nos docet illo aeo celebrerimus Ferdinandus Galiani: « *Alcanzo*. Parimenti con parola tutta spagnuola dicesi quella stafetta che si manda per far arrivare con anticipazione di qualche ora le lettere ai supremi ministri prima che giungano e si sciolgano quelle per lo pubblico » (*Vocabolario del dialetto napoletano*, f. 5. - Apud

« Biblioteca della Società Napoletana di Storia Patria », Cod. XXIX, C 6). - « *Alcance* » olim in lingua hispanica indicabat tabellarium seu nuncium extraordinarium. Reipsa neapolitanus Nuntius non semel in eodem sensu scribit: « Con l'arrivo dell'alcanzo di Spagna » (Arch. Vaticano. Napoli, vol. 121, f. 775, 18 dic. 1696); « Più di una volta haverei procurato di dare a V.E. notizie di questo paese per l'alcanzo che arriva costì anticipatamente alla posta ordinaria » (Ibid. vol. 129, f. 333, 9 luglio 1718).

Videtur ergo D. Iosephus quoddam huius generis servitium exercuisse, quin tamen alia adiuncta discernere valeamus. Fortasse agebatur de communicationibus cum Etruriae praesidiis, quorum epistolae ex Orbitello, Port-Ercole e Piombino mittebantur Viterbum, inde per Romam ad Neapolim properabant (Arch. di Stato - Napoli. Camera consultationum, vol. 119, an. 1715, f. 501: Corriero de' Presidi di Toscana). Nec omnino improbabile est quod « *alcanzo* » aequivaleret plus minusve alii dialectali-hispanicu vocabulo, id est, « *atrrasso* », tunc temporis valde usitato ad exprimendam « *summam tempore debito non solutam* ». Hoc in casu documenta supra citata significant diversas summas D. Iosepho persolutas extra tempus praefixum.

APPENDIX II

super Archivis Barcinonensi (Barcellona) et Genuensi (Genova).

Huius articuli folia e prelo sunt nobis remissa, iisdem diebus, quibus Româ absentes exploravimus Status archiva Barcinone et Genuae, quatenus in ipsis recondi suspicabamur documenta sive relationes scopo nostro consitaneas. Ne autem articuli textus vel notae, cum typographi nocumento, perturbentur, additiones breves subnectimus, quae futuris investigatoribus utiles fortasse devenient.

I. ARCHIVUM BARCINONENSE

Historicis valde notum sub appellatione « Archivo de la Corona de Aragón » atque ditissimum vestigatoribus praebetur pro Medio Aevo illustrando necnon pro periodo Aragonensi regni neapolitani: si quando v.gr. extra Neapolim deprehendere contigerit radicem hispanicam cognominum Gómez et Avenia, quae in S. Alfonsi familia coruscant, id non nisi post diuturnam huius archivi explorationem obtinebitur. Pro historica autem periodo, quae curiositatem nostram acuerat, scilicet pro octo fere annis quibus neapolitani viceregni sortes e Barcinone potius quam ex Vindobona praestituebantur, consuluimus in praedicto archivo sectiones sequentes: a) Alfabeti de los Regentes del Govierno Intruso del archiduque de Austria (1705-1713). - b) Cancillería. Intrusos, vol. 189, Officialium et Notariorum. - c) Ibid. Privilegiorum, vol. 197 (1705-1713), f. 40-49. « In nostra civitate Balagarij [Balaguer] die 25 iunij 1710... donación perpetua a Dn. Ramón de Vilana Perlas de la Villa de Rialp y valle de Dassuá [sic] con todas sus jurisdicciones »; titulo igitur marchionis insignitus fuit postquam ab anno 1705 secretarii munere fungens describitur (Officialium, vol. 189, f. 1-2). - d) Mestre Racional, vol. 481 (1709-1713). - e) Archivo del Brazo Militar, f. 202: Reynat de la Mag.t de Carlos tercer de Austria; f. 260: Reynat de la S.C.R.M. de la Reyna dona Isabel Christina de Brauswich [sic].

Nihilominus post accuratam fontium scrutationem concludimus quod pro materia nostra specifica, id est, pro maritimis D. Iosephi de Liguoro et classis neapolitanae itineribus, inferior quam credidimus notitiarum seges ibidem reconditur. Abundantior sane talium documentorum collectio, aut destructa fuit ne domus habsburgicae fautores damnis gravioribus — post cladem bellicam — subiacerent, aut ex archiducis Caroli mandato fuit e Barcinone Vindobonam asportata.

Noscimus quoque aliud reginae Elisabeth mandatum, quo Barcinone regnans voluit per neapolitanum proregem munerari D. Antonium de Liguoro: huius viri consanguinitatem cum familia S. Alfonsi nondum definire valuimus, at in memoriali suo palam extulit tum ipsiusmet, tum patris sui adhaesionem Domui Habsburgicae anno 1701 (duce principe de Macchia) et deinceps (1707-1708). En regium rescriptum ad comitem Carolum Borromaeum Ares, neapolitanum proregem:

Illmº Conde Carlos Borromeo [...]

Por parte de Antonio de Liguoro se me ha representado [*que*] haze treze años que exerce la profesión de Avvogado en los Tribunales de esa Ciudad, haviendo sido empleado por el conde de Martiniz [sic] en el Govierno y Judicatura de la ciudad de Aierola y tierra de Prayano y Vettica Mayor (65),

(65) Agerola aestimabatur tunc temporis civitas regia; sub eiusdem ditione (*pertinenza*) manebant Praiano et Vettica Maggiore; tres loci intra dioecesim amalphitanam.

cuyo empleo y el de Regio Juez y Asesor en las causas civiles y criminales de la ciudad de Amalfi y de su Jurisdicción, en que también fué elegido, exerció en los años 1707 y 1708 con toda rectitud y entereza [...], suplícandomo que en consideración a lo referido y a lo mucho que su padre el Dr. Juan Jacome de Liguoro se distinguió en nuestro Regio servicio el año 1707 con evidente riesgo de su vida: sea de mi Real agrado destinarle por un biennio a uno de los Auditoratos de Provincia de ese Reyno, ordenando que después de haver cumplido en él, se me dé cuenta de su proceder a fin de que sea ascendido a otro mayor empleo.

De Barzelona a 9 de octubre de 1712.

Yo la Reyna (66)

II. ARCHIVUM GENUENSE

Genuense Status Archivum sub omni aspectu uber ostenditur, prouti Rempublicam Serenissimam decebat ubique terrarum olim praesentem ac per suos legatos et consules edoctam de aliarum nationum eventibus politicis, mercatoriis, navalibus ac diplomaticis (67). Hinc ratio cur ad praedictum Archivum Secretum accessimus, sectionem (*fondo*) Neapolis inquisituri necnon alias sectiones eidem pro utilitate nostra propinquiores v.gr. *Impero* (Vienna), *Spagna* (Barcellona.) En summa:

a) NAPOLI. Busta 2328. Pallavicino (1705-1708). - 2329: Molinello (1716-1732). - 2643: Cesarotto (1705-1719). - Molinello (1695-1719). - 2644: Molinello (1720-1735) (1736-1752).

b) VIENNA. Busta 2555 (1705-1710). - 2556 (1710-1713). - 2577 (1731). - 2578 (1733). - 2579 (1735-1736).

c) BARCELLONA. Busta 2671 (1651-1780).

Communicationes seu relationes legatorum et consulum genuensium nostra intersunt, quoniam ex ipsis melius dignoscimus cursum et catenam vitae nationalis neapolitanae sub habsburgica dynastia, speciatim vero prospicimus circumstantias «ambientes», in quibus D. Iosephus de Liguoro agere, praeliari ac navigare solitus fuit. Speciminis gratia selegimus quosdam textus directe aut indirecte cum eximii navarchi activitate professionali conexos.

I. - *D. Iosephus de Liguoro cum triremi Patrona an. 1713 proregem D. Carolum Borromaeum revehit Genuam via Roma.*

(Busta: 2643. Int.: Lett. del console Paolo Ger.mo Molinello al Ser.mo Governo di Genova).

Die 10 ianuarii an. 1713 prorex comes D. Carolus Borromeaus Ares S. Alfonsum iuvenem ab aetatis defectu solverat, ut ad gradum doctoris ascenderet primogenitus D. Iosephi de Liguoro. Facile ergo intelligitur quanto iste grato animo, paucis post mensibus, honorem suscepit revehendi proregem in portum Genuensem, unde Mediolanum ille petere exoptabat, sicuti nos erudiunt sequentes relationes:

Napoli, li 16 maggio 1713. Il Signor Vice Rè mi mandò a chiamare e mi disse che essendo prossima la sua partenza [*a munere demissus erat*]

(66) Arch. di Stato - Napoli. Consiglio di Vienna, vol. 238, an. 1712. - Item vol. 237, f.53 (Alia copia).

(67) Cfr. perutile volumen archivistico: V. VITALE, *Diplomatici e Consoli della Repubblica di Genova*, Genova 1934, 102 ss.

voleva che io lo servissi d'inviarli costì [Genuam] a qualche amico mio il suo piccolo bagaglio, e haverebbe sperato costì se le fosse usata la facilità di non guardare a dette sue robbe. Io dissi di esser prontissimo a servirla [...] e che non dubitavo che da V.S. Ser.me fossero dati l'ordini opportuni di quanto desiderava: onde se così paresse a V.S. Ser.me di ordinare al Sig. Marchese di S. Giorgio, o a chi più stimeranno opportuno, che non fossero considerati deti colli nel passaggio costì, tanto più che S.E. [*prorex*] ha havuto il riguardo di sigillare tutti li suoi colli col suo sigillo, acciò niuno possa abusarsi a servirsi delle gracie, che esso spera da V.S. Ser.me [...]

Napoli, 23 maggio 1713 [...] Ho replicato hieri, nel licentiamiento per l'ultima volta del Sig. Conte Carlo Borromeo, le gracie di V.S. Ser.me, che le ricevè con la stima dovuta [...] Esso poi si partì verso le ore 23 con due di queste galere. E perchè mi disse che si tratterrebbe qualche giorni a Roma e altrove, il suo viaggio per costì sarà più lungo di quanto sarà quello del d° patron Valentino di Lario, che porta la robba di S.E.: quale non volendo che niuno s'approfitti di quelle gracie che spera ricevere da V.S. Ser.me ha fatto bollare col suo sigillo detti colli a lui spettanti, ordinando a me di scrivere che quelli che non saranno con tale ricordanza non debbono essere nulla considerati. E dubitando che i capitani delle galere non potessero fare qualche maneggio di approfittarsi, voleva far sbucare dalle galere certe sete imbarcate per costì: onde venne da me il patron D. Giuseppe de Liguoro, capitano della galera Patrona e cognato di questo Segretario di Guerra [D. Iosephus Cavalieri, frater D. Annae Catharinae, uxor D. Iosephi de Liguoro] a dirmi che sincerassi S.E. [*proregem*], che loro debbono queste robbe sbucare in codesta Dovana [*sic*], e volevano dare a me la poliza di carico, che non volli accettare per più motivi, e particolarmente per il Segretario di Guerra: onde della circospettione di S.E. pare che meriti esser considerata.

2. - *Triremium neapolitanarum excursus contra piratas.*

Praetermissis quam plurimis relationibus, quasdam dumtaxat notitias sublineamus biennii 1724-1725, quibus triremium vigilancia ostenditur atque praedonum audacia et crudelitas illuminatur. Etsi nomen D. Iosephi de Liguoro retinetur, indubium est illum non semel his navalibus excursibus interfuisse (Busta 2329, 1.c.).

7 luglio 1724. Avant'hieri vicino alla spiaggia di Massa [*Lubrense*], lontana di qui sole ventiquattro miglia, fu predata da galeotta barbaresca una filuca di detto luogo, che carica di varie merci e con passagieri procedeva da Maratea, essendosi salvati li soli marinari con essersi buttati in mare: il che fu di sentimento a molti per veder tali pericoli così vicini a questa città [...]

14 luglio 1724 [...] La preda fatta da corsaro barbaresco, e proprio di Bizerta, d'una filuca di questo vicino luogo di Massa, e qualche giorno dopo rituscì parimenti a due bregantini pure di Bizerta, poco distante del medesimo luogo di Massa, farne altra della barca del patron Stefano Caffiero di Sorrento, procedente di Puglia con carico di orgie e oglio, non ostante che venisse con molte altre convogliate da altra grossa barca, o ia tartana bene

armata, comandata dal capitano Donato Caffiero, mentre supponendo questo esser in salvo tutto il convoglio era già avanzato e dato fondo in d° Sorrento. Ma avvisato [...], fece subito, anche d'ordine di quel governo, rimorchiare il suo bastimento armato e gli riuscì ripigliare la preda ed impadronirsi d'uno de' detti bregantini, che fu qui condotto con 24 schiavi, essendone altri sei rimasti estinti da una cannonata: sopra quel bregantino vi si sono trovate tredici altre persone di questa costa, che erano state fatte schiave con la preda di una picciola barca [...]

4 agosto 1724. L'altra sera fece vela una di queste navi da guerra, cioè quella denominata S. Barbara, capitaniata da capitano Pietro Castiglia, per il corso [*adversus piratas*]; e si stanno allestendo quattro galere che qui vi sono [...]

20 luglio 1725. Partirono poi la notte de' 14 corrente le cinque galere di Malta in traccia de' bastimenti turchi, che in gran numero si sentono in questi mari e in quei della Sicilia, essendo poi riuscito alle galere di questa squadra [*neapolitana*] far preda di tre galeotte [...] ed altra mandatane a picco, con aver fatti centro trenta quattro schiavi [...]

27 luglio 1725. Dal Comandante delle Galere di questa squadra che continua in corso, è stato qui trasmessa la preda da esse fatta, e che avvisai la scorsa settimana a V.S.Ser.me, di tre galeotte, che sono giunte in questo porto con cento trenta quattro schiavi, compresi alcuni salvatisi della quarta che si affondò. Ed oggi si vocifera esser seguita altra preda d'un pinco barbaresco, fatta dalla capitana di detta squadra [*navarcho D. Iosepho de Liguro*], ma non vi si dà crederla per la confusione con cui si racconta [...].

3. agosto 1725. Sotto li 31 scadente capitaroni in questo porto, ritornando dal corso, le quattro galere di questa squadra, ed è rimasta vana la voce che sparsa si era della preda d'un pinco barbaresco, e che come dubbia avvisai a V.S.Ser.me. - Si suppone in tanto che il Signor Vice Rè debba novamente farle allestire e rispedirle in traccia de' corsari, che in molto numero si sentono, e precisamente con bastimenti di remo [...]

3. - *Fuga triremium an. 1734 et finis dominationis habsburgicæ.*

Genuenses consules confirmant relationes, aliunde notas, de audaci triremium neapolitanarum fuga an. 1734 peracta ac de habsburgicæ dominationis cessatione (Busta 2644).

3 aprile 1734. Ieri sera si cordonaron ben vicino al porto verso le ore 23 cinque navi da guerra spagnole [*borbonicae*] et una tartana corsara, con aver poi dato fondo; e pur verso l'una di notte uscirono le quattro galere di qui [*neapolitanae*] e se sono passate a remi in mezzo di dette navi senza impedimento alcuno. (Cfr supra, nota 48).

Vienna, primo di maggio 1734. Non può negarsi che Sua M.tà [*Imperator Carolus*] non sia rimasta sommamente sorpresa dalla nuova dell'entrata de' spagnoli [*borbonici*] in Napoli, quando sino all'ultimo gli si è rappresentato quel Regno in stato di fare una valida difesa e che non vi fusse da temere da quella parte, se l'esercito nemico non venisse maggiormente rinforzato (VIENNA, Busta 2578).

E. HOSP - A. SAMPERS - E. ZETTL

SUMMA DOCUMENTORUM

CIRCA SUPPRESSIONEM PROVINCIAE AUSTRIACAE CSSR (AN. 1848)

EIUS CONVERSIONEM IN PROVINCIAM GERMANICAM (AN. 1849)

EIUS RESTITUTIONEM PER DIVISIONEM PROVINCIAE GERMANICAE

IN AUSTRIACAM ET GERMANICAM (AN. 1853/54)

Sub hoc unico titulo — ex argumenti vastitate sat longo — tres documentorum collectiones exhibemus, a tribus historiae nostrae peritis diligenter paratas. Argumentum de quo agitur, ipso titulo sat clare expressum est; documenta exhibita, saepe magni momenti, omnia (uno duobusve exceptis) inedita sunt. Singulas collectiones, sub nomine editoris, numeris romanis I, II, III, distinctas, edimus, paucis praesentationis verbis antepositis.

Hic vero iuvabit de argumento in genere quaedam praelibare, hoc fine, ut rerum et actorum inter se coniunctio clarius elucescat, atque argumenti gravitas melius agnoscatur.

Cum an. 1841 Congregatio nostra a Sancta Sede in singulas provincias distribueretur, haec divisio in regione transalpina illico exsecutioni demandata est, creatis tribus provinciis per Romanum decretum stabilitis: Austriaca (residentia Superioris provincialis in Wien), Belgica (residentia Sup. prov. in Liége), et Helvetica (residentia Sup. prov. in Freiburg im Üchtland). In Wien residebat quoque Vicarius gen.lis, tunc R.mus P. Passerat, ita ut Superior provincialis Austriacus munus suum vix exercere potuit, hac accidente ratione, quod ex decreto gubernii imperialis solus «Obervorsteher», i.e. Vicarius gen.lis publice agnoscetur.

An. 1848 in variis Europae partibus motus populares magis minusve violenti exorti sunt (in Helvetia PP. nostri iam an. 1847 vi coacti sunt urbem Freiburg derelinquere), qui inde a mense februario per totum quasi annum in principalibus urbis capitalibus graviores perturbationes ordinis publici totiusque rei publicae produxerunt. (mense febr. in Paris, mense martio in Berlin et München, mense martio, maio et octobri in Wien, mense iunio in Prag, mense septembri in Budapest, mense novembri in Roma, ut loca maiora nominemus).

In his motibus, praeter rationes politicas et sociales, saepius etiam revelata sunt elementa anticatholica et antireligiosa, neve obliscatur, an. 1848 primo publicatum fuisse «Manifestum» illud a Marx et Engels deno-

minatum quo Socialismi et Communismi theoria et philosophia aperte proclamatae sunt. Nihil ergo mirum, si in supradictis motibus popularibus quandoque etiam inimici religionis christianaee violento modo contra personas et institutiones ecclesiasticas furibundi saevirent, uti ex.gr. in Wien et in Roma, Pio IX ab Urbe depulso. Sicut toties tantisque locis factum est, odium commune etiam an. 1848 praecipue conversum est in Societatem Iesu et in Congregationem ligorianam. Suppressioni aliquarum domuum « via facti » seu violenta et illegali actione peracta, mox secuta est ex parte gubernii, furia factiosa coacti, suppressio generalis per publica decreta. Ita mense martio et maio in Austria.

Hoc an. 1848 residentia Superioris provincialis iam non erat in Wien, sed in Altötting (Bavaria). Provincialis fuit P. F. von Bruchmann, fundator et primus Superior illius Collegii (inde ab an. 1842), qui, dum Superior prov. Austriacae nominatus est (30 IX 1847), a Vicario gen.li permissionem obtinuit permanendi in Altötting. Sic tamen factum est, ut diebus criticis mensis martii, dum in Wien gravissima explodit populi seditio, abfuit caput provinciae, ita ut Rectores (Superiores) singularum domum proprio marte agere et decidere cogerentur. Accessit quod ipse Vicarius gen.lis confestim fugam arripere compulsus esset, et mox muneri renuntiasset (6 VI / 9 VII, 1848; acceptatio romana 2 X 1848). Sed etiam in Bavaria periculum dissolutionis Congregationis ex parte gubernii imminere tunc visum est. Regimen forte et aequabile Congregationis transalpinae, illo momento summe necessarium, ad incertum positum erat; aestate eiusdem an. 1848 ad finem verente tres Provinciales transalpini facultates Vicarii gen.lis in seipsos conferri curaverunt (3 X 1848); sed rebus politicis iam aliquatenus ad quietem reductis, tandem Vicarius gen.lis transalpinus restitutus est, R.mo P. von Smetana ad hoc munus evecto (1 VII 1850). Sic tandem regimen trium provinciarum transalpinarum in tuto collocatum est (vide de his rebus seriem documentorum quam collegit E. ZETTL, sub voce: *De suspensione Vicarius transalpini post renuntiationem Vicarii gen.lis Passerat, an. 1848, in Spic. Hist. 6[1958], 353-404).*

Generali hac expositione absoluta, ad provinciam austriacam propius accedamus. Haec an. 1848 has complexa est domos: A) *in ipso imperio austriaco*: Collegia: Wien (cum villa in Weinhaus) 1820, Frohnleiten cum cura paroeciali (Styria) 1826, Mautern (domus studiorum, Styria) 1827, Innsbruck (Tyrolium) 1827, Marburg (Styria, nunc Maribor, Iugoslavia) 1833; Hospitia: Eggenburg (domus noviciatus, Austria Inf.) 1833, Leoben (Styria) 1834, Kirchberg am Wald (Austria Inf.) 1841, Graz (Styria, fundatio in fieri) 1844. - Extra confines austriacos: B) *in Ducatu de Modena (Italia)*: Collegia: Finale 1836, Montecchio 1843; Hospitium: Modena 1835. - C) *In regno Bavariae* (tunc inter status confoederatos germanicos, « Deutscher Bund »): Collegium: Altötting 1841; Hospitia: Altötting 1841, Vilsbiburg 1846, Fuchsmühl 1848. Domus in statibus confoederatis Americae septentrionalis, a PP. austriacis inde ab an. 1832 fundatae, an. 1848, promptioris administrationis causa, iam sub regimine provinciae Belgicae positae erant.

- Dissolutio domorum in imperio austriaco sitarum sic progressa est :
- 13 III 1848 WIEN, prima aggressio seditiosa Collegii, absque damno.
 - 15 III 1848 GRAZ, perturbatio violenta ordinis publici, expulsio PP.um SI; finis tentaminis fundationis CSSR in hac urbe.
 - 6 IV 1848 WIEN, altera aggressio Collegii nostri, turbulentissima, cum dispersione violenta Congregatorum, fuga Vicarii gen.lis, et occupatione domus. Nemo nostrum permanere potest (restitutio Collegii 2 III 1854).
 - 7/8 V 1848 WIEN, publicatur decretum imperiale suppressionis SI et CSSR in statibus austriacis.
 - 16 VI 1848 MAUTERN, commissio a gubernio statuta suppressionem proclamat.
 - 17 VI 1848 LEOBEN, eadem commissio eandem suppressionem publicat; attamen in ambabus domibus aliqui nostrum remanere possunt, Collegium in Mautern pedetentim concrescit, et 15 II 1852 ambo domus a gubernio restituuntur.
 - 7/8 VIII 1848 EGGENBURG, violenta suppressio domus et dispersio Congregatorum, ope cohortis nationalis (« Nationalgarde ») ex urbe Wien advolantis; attamen inde a XII 1848 Collegium lente coalescit.
 - 22 IX 1848 INNSBRUCK, intimatio suppressionis gubernativae, peracta a Curia episcopali de Brixen; attamen propter indignationem populi tyrolensis suppressioni non est data exsecutio. Collegium pergit operari, sed Congregati usque ad an. 1852 prudentiae causa vestem propriam CSSR deponunt.
 - 11 X 1848 MARBURG, intimatio suppressionis gubernativae, peracta a Curia episcopali de Seckau/Graz. Collegium penitus abilitur !
 - 19 X 1848 FROHNLEITEN, similis intimatio, absque ullo effectu, quoniam populus paroecialis (qui iam antea impedivit, ut cohors nationalis a Graz Collegium violenter supprimeret) fortiter pro Congregatis conservandis insistebat. Aliqui ut curae animarum adscripti remanere potuerunt, ceteri utcumque permanserunt, vestibus tamen CSSR depositis.
 - 1851 PUCHHEIM (Austria Sup.), publica CSSR proscriptione non obstante, nova fundatio perfici potuit.
 - 1852 Opus missionum nostrarum ad populum ubique reflorente coepit.
 - 23 VI 1852 Decretum imperiale quo CSSR in statibus austriacis restituitur, publici iuris fit. Finis publicae suppressionis. Requiritur tamen pro singulis domibus proprium imperiale decretum.

Adiungimus indicationem restitutionis singularum domum per decreta imperialia propria (« Allerhöchste Entschließung »).

1852 24 VII RIED (OSSR).

1852 20 X WIEN (OSSR).

1852 24 XII EGGENBURG.

1853 2 V GARS AM KAMP (OSSR).

1853 12 V INNSBRUCK.

1853 7 VII LEOBEN, MAUTERN.

1854 6 I WIEN.

Ex his quae supra diximus, aliquae promanant conclusiones quae ad res gestas historice et critice dijudicandas confluunt. Quasdam evocemus:

1° - *Suppressio* provinciae austriacae, seu melius domorum CSSR (et OSSR) in territorio imperii austriaci *non erat fulminea*, sed fiebat *per gradus*. Domus in Wien et Eggenburg violenter suppressae sunt, ope praesertim cohortis militum tutelae nationalis (« Nationalgarde »), hominum scilicet qui vi perturbationis publicae congregati, saepe etiam contra institutiones legales pugnabant, faece populi concurrente. Secutum est deinde decretum imperiale, vi et dolo extortum, eiusdemque decreti applicatio. Haec fiebat parte ab officialibus gubernii quod adhuc publicae eversionis vim subibat, parte ab auctoritate ecclesiastica, eadem seditiosa rerum perturbatione obligata. Domus in Mautern et Leoben per commissionem gubernativam suppressae sunt, domibus in Marburg, Innsbruck et Frohnleiten a Curiis episcopalibus decretum suppressionis gubernativae intimatum est. Domus in Kirchberg am Wald, parum apta, et fundatio in Graz incopta, a nostris ultro derelictae sunt.

2° - *Suppressio*, ex litteris legis totalis, re vera *erat sat partialis*. Domus Frohnleiten et Innsbruck continuabant operari sicut antea, immo Congregati non pauci illuc convolarunt, quamvis prudenter vestem nostram propriam deponerent; domus Eggenburg et Mautern mox vigorem reprehenderunt; in Leoben quoque aliqui nostrum permanere potuerunt; tantummodo Collegia in Marburg et Wien totaliter suppressa sunt. Primum omnino deperditum mansit, alterum, utpote sub oculis gubernii et populi excitati, nullo modo nec clam retineri potuit, et ultimo loco restitutum est.

3° - *Suppressio* tamen in Austria, ex violentia primordiali quam initio habuit, deinde ex littera legis gubernativae, *gravis et periculosa fuit*. Repentina ac totalis subversio Collegii principalis in Wien primo tempore, totum corpus Collegiorum in Austria graviter percussit, dum fuga Vicarii gen. lis — quantumvis inevitabilis — et absentia Superioris provincialis incertum statum rerum molestissimum reddunt. Accessit, quod etiam domus in Italia septentrionali sitae (Ducatus de Modena) eodem fere tempore vi suppressae sunt, et Congregati fugitivi in medium provinciam graviter vexatam accurrebant. Hae variae rerum circumstantiae, maxime autem ictus « psy-

chologicus » ex inopinata, violentissima et completa Collegii in Wien suppressione ortus, una cum generali eiusdem Collegii sodalium dispersione, statum Congregationis in imperio austriaco graviorem vero, ac quasi irreparabilem apparere faciebant. Solummodo versus medietatem an. 1849, seu post sex et decem menses ab exorta politicarum rerum conversione, rei publicae quiete et ordine in imperio austro-hungarico penitus restitutis, potestas civilis in gubernio et administratione sueto et regulari modo procedere potuit. « Iosephinismus » quod audit, post profundam omnium rerum transformationem an. 1848, velociter evanuit, et iam an. 1855 Concordatum cum Sancta Sede concludi potuit. Rebus politicis et ecclesiasticis in meliorem formam redactis, restitutio quoque Congregationis nostrae (et Societatis Iesu) in Austria secura spe impetrari potuit.

4° - *Suppressio* domorum in imperio austriaco primo momento tumultuaria vi incopta, mox *per decretum imperiale sancta et corroborata est*. Impossibile, vel saltem difficile erat, primis mensibus an. 1848, rerum politicarum et eventuum cursum quodammodo praesentire. Decreti vis legalis, qua suppressio firmior et stabilior esse videbatur, omnia in peiorem partem redegit, atque spem restitutionis longius abesse insinuavit. Ita factum est, ut plures sodales, Patres et Fratres, sub primo eventuum impulsu, territorium imperii austriaci praecipitosa fuga dereliquerint, vel etiam terrore acti aut subitanea egestate perterriti, Congregationi valedixerint, vel demum, faventibus legibus tunc vigentibus, ad proprios locorum originis Ordinarios reversi, beneficia ecclesiastica in cura animarum acceperint, ex quorum proventu vicitare possint. - De his omnibus casibus adhuc in Capitulo gen.li an. 1855 acriter disceptatum est, et tunc Constitutio peculiaris circa agendi rationem superiorum et subditorum tempore persecutionis (Const. 343, 344) per specialem Commissionem exarata est (cfr *Acta integra Capitulorum gen.lium*, Roma 1899, n° 1095).

Utcumque sit, in imperio austriaco status domorum et sodalium ex improviso valde incertus factus est, et plus quam anno integro peracto, adhuc instabilis remansit, vel etiam — sub respectu legis — peior factus esse apparuit. Demum cum suppressio legalis, ante faciem publicae administrationis, per quattuor annos (1848-1852) perdurasset, status rerum omnium ad Congregationem pertinentium molestus esse continuavit.

5° - Sedulo tandem notandum est, *suppressionem* (primum violentam, postea legalem) comprehendisse tantum domos et sodales *inter confines imperii austriaci* positos, ita ut domus extra dictum territorium pleno iure et in omni libertate exsistere et operari continuassent. Hoc tamen reapse valebat solum pro dominibus in regno Bavariae fundatis (vide supra), sed sufficiebat, ut provincia austriaca, quae iam ab erectione an. 1841 fines austriacos excesserat, consistere pergeret.

Enascebatur vero quaestio practica, num — post eversionem plurium domorum, post dispersionem multorum sodalium, maxime post publicum imperiale decretum suppressionis in toto imperio austriaco — denominatio « provinciae austriacae » pro prudentia et convenientia sustineri potuerit.

Et profecto haec denominatio paulo post mutata est in « provinciam germanicam »; his enim annis Congregatio nostra etiam extra Bavariam per alios status germanicos diffundi coepit: 1849 Koblenz et 1851 Trier in Prussia, 1850 Bornhofen in Nassau, cum certa spe aliarum fundationum. Nec tunc clare praevideri potuit (uti iam innuimus), quomodo et quando res austriacae in melius verterentur. Facile tamen intellegitur, praecipue posteaquam inde ab an. 1850 condiciones generales, politicae et religiosae, in imperio austro-hungarico, sicut et status domorum, sodalium et laborum apostolicorum in melius converti coeperunt, Patres austriacos aegre tulisse non solum denominationem provinciae germanicae pro Congregatione in Austria, sed etiam vel magis quod a superioribus exteris dependere coacti essent.

Sic necesse erat, ut primum post restitutionem legalem Congregationis in Austria (1852) et deinde quasi omnium veterum domorum (1852-1854) e parte gubernii imperialis, nomen quoque et regimen proprium provinciae austriacae ex parte Instituti innovaretur. Ex rerum adiunctis hoc per gradum factum est, ita ut primum Viceprovincialis austriacus nominaretur, et postea, rebus maturis, vetus provincia austriaca pleno iure reconstituatur (1854), ita tamen, ut ad territorium proprie austriacum (et Italiae septentrionalis) restringeretur. Eodem momento nova provincia germanica constituta est, item inter limites statuum Confoederationis germanicae extra Austriam existentium. Quae enim sub eodem nomine ab an. 1849 usque ad an. 1854 perdurabat, alia non fuit quam primitiva provincia austriaca, solo nomine mutato. Nunc vero primitivum territorium provinciae austriacae, an. 1841 constitutum, inter duas provincias, austriacam tunc restitutam et germanicam tunc creatam, distributum est.

De his omnibus et singulis, tres iam nominati auctores, documentis magna cura collectis, hic primam parabant editionem, maxima sane dignam attentione. Ex his enim documentis res gestae, eventus sat tristes vel etiam laeti, necnon agendi rationes plurium personarum, sive e nostris, sive hominum in re politica vel religiosa eminentium, in lucem ponuntur.

Quod vero documenta a *tribus* auctoribus praesentarentur, ex eo venit, quod documenta *in tribus* distinctis *locis* asservantur: in *Wien*, in archivō status (collectio a P. Hosp facta); in *Gars*, in archivō provinciae nunc monacensis, quod continet documenta provinciae olim germanicae (collectio a P. Zettl parata); et in *Roma*, in archivō nostro generali (collectio archivi custodi P.i Sampers debita). Singulis documentorum collectionibus paucissima verba explicationis praeposuimus, ita ut — hisce ante omnia praefatis — vix aliud dicendum vel desiderandum relinquatur.

EDUARD HOSP

AKTEN AUS DEM ÖSTERREICHISCHEN STAATSARCHIV IN WIEN,
NEBST ANDREN DOKUMENTEN
ZUR AUFHEBUNG UND WIEDEREINFÜHRUNG
DER KONGREGATION IN ÖSTERREICH, 1848-1854

Vorwort der Redaktion. - Unser Spezialist in Sankt-Klemens- und transalpinischer Kongregations-Geschichte, RP Hosp, hat uns auf unsre Bitten aus dem Wiener Staatsarchiv (ehemals K.K. Haus-, Hof- und Staats-Archiv) die betreffenden Stücke aus den Ministerrats-Protokollen ausgezogen, die sich auf die amtliche staatliche Aufhebung und Wiedereinführung unsrer Kongregation in den österreichischen Staaten beziehen. Da diese höchst wichtigen und grundlegenden Dokumente unbekannt sind, so bedarf deren Veröffentlichung keiner weiteren Begründung.

Da sowohl bei der Aufhebung wie bei der Wiedereinführung unsrer Kongregation auch das Schicksal der Jesuiten in Österreich und das unsere miteinander verbunden sind — wie übrigens oft in der Geschichte! — so scheinen auch in diesen Akten mehrfach beide Orden im gleichen Dokument auf. Immerhin sind über den Jesuitenorden noch weitere Akten vorhanden, die in diesem Zusammenhang nicht erscheinen.

Der Inhalt der Akten und Dokumente bedarf keiner weiteren Erläuterungen. Als Kommentar mag man allenfalls die geschichtliche Darstellung bei E. Hosp, *Erbe des hl. Klemens Maria Hofbauer*, Wien 1953, 364-421 dazulesen. Wer sich näher über die Zusammensetzung der Ministerien dieser Zeit in Österreich interessiert, mag nachlesen in B. SPULER, *Regenten und Regierungen der Welt*, 1492-1953, II, Bielefeld (Ploetz) 1953, 361-363.

Es bleibt nur noch Folgendes zu bemerken übrig:

Die Akten und Documente stammen aus vier verschiedenen Archiven, nämlich 1. aus dem Staatsarchiv zu Wien: Ministerrats-Protokolle (abgekürzt MR), und Cultus-Ministerium (abg. MC); 2. aus dem Nieder-Österreichischen Landesarchiv zu Wien (abg. NÖLA); 3. aus dem Provinzarchiv unsrer Kongregation zu Wien, Maria Stiegen (abg. PA CSSR), und endlich aus dem erzbischöflichen Diözesanarchiv zu Wien.

Die Redaktion hat lediglich die Scheidung und Einordnung sowie die Betitelung der einzelnen Stücke besorgt.

A

MINISTERRATS-PROTOKOLLE
ZUR AUFHEBUNG DER ÖSTERREICHISCHEN PROVINZ, 1848

I. - Sitzung vom 6. April 1848 (MR 97/1848)

6. April 1848. - Protokoll der Minister-Conferenz. - Um 12 Uhr im Bureau des provisorischen Ministerpräsidenten Graf v. Kolowrat. Anwesend der Minister des Inneren, der Justiz, des Unterrichts u. Kriegswesens.

Der Minister des Inneren [*Franz Freiherr von Pillersdorf*] brachte zur Kenntnis der Versammlung, daß in der verflossenen Nacht Unruhen gegen den hiesigen Erzbischof vorgekommen sind, welche durch Schreien und Fenstereinwerfen sich offenbarten. Veranlassung dazu war, daß er sich weigerte, die nach Frankfurt im Mai zu sendenden Embleme der deutschen Kaiserwürde einzubringen. Der Minister des Inneren hat dem Erzbischof hierüber seine Entschuldigung gebracht und ihm überlassen, eine Manifestation dagegen etwa durch einen Aufruf an den Klerus und durch diesen eine Ermahnung an das Volk zu machen wie auch, ob nicht daraus Anlaß genommen werden wolle, eine geistliche Communität, gegen welche sich die öffentliche Stimme seit langem und nun unverhohlen ausspricht, aufzufordern, ihre Localitäten zu einem wohlthätigen Zweck einzuräumen.

Auch wurde von demselben bemerkt, daß eben jetzt ein Auflauf vor dem Liguorianerkloster statthabe und daß die Volksmenge mit Ungestüm die sogleiche Entfernung der Liguorianer aus dem Kloster fordere (welches bereits mehrere Priester verlassen und sich entfernt haben). Ferner, daß, wenn nicht ein Auftrag von Seite der Regierung zur Entfernung der besagten Geistlichen erfolge, leicht ein größeres Übel entstehen könnte, was auch die zwei erschienenen Offiziere der Nationalgarde bestätigten, daß die Garde nicht mehr lange imstande sein werde, dem Andrang gegen das Kloster zu widerstehen, zumal dieser Anlauf gegen eine Communität gerichtet ist, die den allgemeinen Widerwillen, zum Theil auch Haß, auf sich gezogen hat.

In dieser schwierigen Lage hat der Ministerrat beschlossen, den von dem Minister des Inneren entworfenen Auftrag an den Vorsteher der Liguorianer versiegelt durch einen verlässlichen Beamten zu senden, worin derselbe aufgefordert und seiner und seiner Conventualen Sicherheit wegen beauftragt wird, das Kloster schleunig zu verlassen. Die beiden Offiziere der Nationalgarde wurden aufgefordert, dem versammelten, aufgeregten Volk bekannt zu machen, daß die Regierung die Entfernung der Liguorianer beschlossen hat. Bevor aber noch der erwähnte Regierungsauftrag an den Ordensobern bestellt werden konnte, hatten die Liguorianer bereits sämtlich das Kloster verlassen und so wurde der Regierung der äußerst unangenehme

und in seinen Folgen unberechenbare Fall erspart, sich dem Volkswillen durch Volksgewalt fügen zu müssen.

2. - Sitzung vom 3. Mai 1848 (MR 611/1848).

3. Mai 1848. - Protokoll des Ministerrates unter Vorsitz des Ministerpräsidenten Fiquelmont. - Gegenwärtig Minister des Inneren Pillersdorf, Justiz Somaruga, Finanzen Freiherr von Krauß, Kriegswesen Latour:

Der Minister des Inneren beantragt die Pensionierung des niederösterreichischen Regierungspräsidenten Baron von Talatzko. Die schon längere Zeit, besonders seit den letzten Ereignissen beklagte Abnahme der Tatkraft dieses Präsidenten, verbunden mit der Schwäche, die der Präsident bei dem im Vortrag dargestellten Vorfall an den Tag gelegt hat, läßt sämtliche Glieder die unbedingte Notwendigkeit der Enthebung desselben vom Amt erkennen.

Der Minister des Inneren setzte noch hinzu, daß auch die am Schluß seines Vortrages eingelangte, in einer Note von ihm kurz berührte Rechtferigungsschrift des Präsidenten über den Vorfall vom 2. Mai nicht geeignet sei, das Benehmen des Präsidenten bei diesem Vorfall in einem milden Lichte erscheinen zu lassen. Denn hätte derselbe, wie er sollte, die zu ihm eingedrungenen Menschen gehörig aufzuklären versucht oder nötigenfalls dieselben in das Kloster der Redemptoristen geleiten lassen, so würden sie sich überzeugt haben, daß dasselbe bereits zu Bureaus eingerichtet und von allen Geistlichen verlassen sei. Statt dessen wies er sie an ihn, den Minister, dem es nur nach vielem Zureden gelungen, die Leute mit der Versicherung zu beruhigen, daß ihm von dem Wiederauftreten der Redemptoristen nichts bekannt sei.

Was insbesondere die in den Händen dieser Leute befindlich gewesenen, die Redemptoristen betreffenden Aktenstücke anbelangt, so sichert zwar der Präsident die Anzeige des Resultates der Untersuchung zu, welche er über die Erfolgung derselben aus der Registratur eingeleitet zu haben berichtet. Allein es war jedenfalls gefehlt, die Leute mit derselben abgehen zu lassen und er, der Minister, habe sich nicht berufen gefühlt, diese Akten zu übernehmen, sondern nur für seine Pflicht gehalten, die Vorzeiger derselben mit Ernst aufzufordern, selbe dorthin wieder abzuliefern, woher sie sie erhalten.

Wenn endlich der Regierungspräsident versichert, seinen Präsidialsekretär mit den eingedrungenen Personen zum Minister abgeordnet zu haben, so muß dieser die Angabe dahin berichtigen, daß der Präsidialsekretär zwar im Bureau des Ministers sich gezeigt hat und als er diesen selbst nicht traf, sogleich wieder verschwunden sein soll, ihm, dem Minister, aber selbst gar nicht zu Gesicht gekommen ist.

Die in der Nacht vom 2. auf den 3. stattgefundenen Tumulte und Charivaris beim fürsterzbischöflichen Palais und anderen Orten waren die Folgen jener Vorgänge. Hierüber theilte der Minister einen Bericht des

hiesigen Polizei-Oberdirektors mit, aus welchem zu ersehen ist, daß zwar die Nationalgarde gegen die Tumultuanten aufgeboten, an einem wirksamen Einschreiten aber theils durch die verhältnismäßig große Zahl der angesammelten Volksmenge, theils durch den Umstand gehindert worden ist, daß unter der Volksmasse selbst viele Nationalgarden sich befanden und größere Exzesse nicht vorfielen. Militärgewalt anzuwenden schien dem Polizeidirektor nicht ratsam.

Da auf heute Nacht ähnlicher Unfug besorgt wird, so ist bereits die Einleitung getroffen, daß durch Bereithaltung größerer Abtheilungen der Nationalgarde und zahlreichere Patrouillen für Aufrechterhaltung der Ordnung gesorgt wird.

Vicarius Generalis

7. - 1853 X 15. - P. A. Mangold constituitur Superior Provinciae Austriacae.

Litterae patentes VG R. Smetana ad P.em A. Mangold, Roma 15 X 1853. - Orig. : AG XV E 54.

Plurimum Revendo Patri et in Christo dilecto Fratri nostro
Adamo Mangold

Cum Sua Majestas Apostolica, Imperator Franciscus Iosephus, precibus nostris humillimis clementer annuens, dignata sit, reconstitutionem Congregationis SS. Redemptoris in Imperio Austriaco ordinare (31), et ideo mu-

(28) De P.e Mangold vide notitias biographicas in *Spic. Hist.* 2 (1954) 89 n. 1 et 258 n. 99, 4 (1956) 68-71, et infra 445 ss.; vide etiam Cat. XI 1, II n. 75, et testimonium P.is Mangold de seipso in Processu apostolico Beatificationis S. Clementis Hofbauer super fama in specie, Copia publica in Arch. Postulationis CSSR-Romae, fol. 161. - Die 1 I 1844 nominatus est primus Rector in Montecchio a VG Passerat (cfr *Spic. Hist.* 4 [1956] 83) et in hoc officio semper reelectus est — ultima vice a VG Smetana die 2 I 1851 (Litterae patentes. — Orig. : AG XXIII S 18) — usquedum 30 I 1854 definitive Superior Prov. Austriacae renuntiatus est (infra doc. 13). Die 20 III 1850 a P.e Bruchmann tamquam delegatus Superioris Prov. pro domibus in Ducatu de Modena designatus est et die 30 III 1850 quasdam ordinationes communicavit (Epistula P.is Mangold ad P.em I. Silva, Rectorem in Finale, Modena 30 III 1850, in qua litterae patentes P.is Bruchmann diei 20 III 1851 transcribuntur. — Orig. : AG XXII R 3). Die 25 II 1851 a P.e Bruchmann ad annum superior omnium Missionum in Ducatu de Modena est renuntiatus (Litterae patentes, Alt-Ötting 25 II 1851. — Orig. : AG XV E 46).

Notare iuvat, non pauca diplomata P.is Mangold, inter ea quae reliquit inventa, a P.e Bührel archivio generali incorporata esse, et quidem in diversis sectionibus (XV E 46, 54, 56; XXIII S 18 [2 doc.]; XLIX 9).

(29) P. Bruchmann facultate nominandi P.em Mangold Vice-Provincialem usus certo non est, uti patet ex doc. 10.

(30) Die 14 V 1853 Card. della Genga, Praefectus S.Congr.EE.RR. litteras dedit P.i Smetana, esse voluntatem Summi Pontificis, ut quamprimum Romam veniret (Orig. : AG XV C 35). De hoc praecepto certior factus ex epistula P.is Queloz diei 16 V, huius rescripsit die 23 V se venturum (Orig. : AG XV C 44 b), attamen speravit quandam dilationem diei obtineri posse, ut bene sese praeparare posset (ita etiam in epistula ad P.em Mauron, Wien 23 V 1853. — Orig. : AG XV C 32 b). In epistula diei 26 V ad P.em Queloz P. Smetana denuo spem expressit dilationem diei obtineri posse (Orig. : AG XV C 44 c). Die 16 VI 1853 Vicarius gen. ex Koblenz epistolam Congregationi Transalpinae dedit, iter in Urbem annuntians (Exemplaria: AG XV C 54 et E 52, XXI R 3; edit. : *Doc. Misc.* 381-382). Die 20 VI 1853 P. Heilig nuntiavit P.i Mauron Vicarium pridie Romam profectum esse, postquam per 4 dies tantum in Koblenz dimoratus erat (Orig. : AG XV C 56).

Romae sedem collocavit apud Filios S.i Vincentii a Paulo, vulgo « Lazzaristas » in vico Monte Citorio (*Cronaca della Casa di Monterone, 1815-1891*, photocopia in AG, 5). Die 28 X 1853 P. Smetana denuo ex Roma profectus est versus septentrionem (infra doc. 8; etiam AG XV D 25). - De commoratione P.is Smetana in Roma cfr DILGSKRON, *Smetana* 184, 224 ff. (Socius P.is Vicarii non erat P. Heilig, uti DILGSKRON 224, sed P. Haringer).

(31) Die 23 VI 1852 Congregatio denuo in Imperio Austriaco admissa est (doc. 4 supra sub I B, cfr HOSP, Erbe 415), ex supplicatione P.is Smetana (vide documenta supra

neris nostri sit, regulari regimini domuum nostrarum austriacarum provide-re, probata Tua pietate ac prudentia confidentes, Te, Plurimum Reverende Pater, Superiorem Provincialem, Consultores autem Tuos RR.PP. Ioannem Kral (32) et Ludovicum Coudenhoove (33) elegimus. Praecipimus ergo omnibus Rectoribus, Superioribus, Presbyteris, ceterisque Congregationis nostrarae Alumnis, Provinciae Austriaca adscriptis, ut Tibi debitam obedientiam atque reverentiam praestent. Facultates necessarias vigore praesentium Tibi impertimur, simulque in Domino Te monemus, ut secundum Regulas et Constitutiones nostrarae Congregationis Provinciam Tibi concreditam gubernes, et vitae communi et regulari disciplinae sedulo et indefesse invigiles (34).

Romae die 15^a Octobris 1853.

L.S

Rudolphus Smetana CSSR
Superior Generalis (35)

8. - 1853 X 28. - VG R. Smetana communicat P.i A. Mangold nominationem.

Ex «Nuovo Registro cronologico per servire alla storia del Collegio di Montecchio» II 35. - Orig.: AG XXIII S 16.

1853 Ottobre 27. - Questa mattina il RP. Rettore partì per Modena, affine di incontrare il R.mo P. Vicario Generale, il quale domani deve ivi arrivare da Roma.

sub I a P.e Hosp edita); die 7 VII 1853 Congregatio ut societas religiosa («religiöse Korporation») agnita est (cfr Hosp, *Erbe* 415-416).

(32) KRAL Ioannes Ev.; cfr *Spic. Hist.* 6 (1958) 362 n. 19, etiam Cat. XI 1, 15 n. 101 et *Annales Prov. Austriacae* 1884, 4-5. Invenitur testimonium P.iis Kral de seipso in Processu ordinario Beatiionis S. Clementis Hofbauer super fama, virt. et mirac. in generi, Copia publica in Arch. Postulationis gen. CSSR-Romae, fol. 352. - Apud MADER 496 annus nativitatis erronee notatur: 1796.

(33) COUDENHOOVE Ludovicus; cfr *Spic. Hist.* 7 (1959) 175-176.

(34) Hoc documento P. Mangold expressis verbis Superior Prov. Austriacae renuntiat. Attamen ante nominationem diei 30 I 1854 hic titulus ei non tribuitur (excepto doc. 9), sed post mensem Vice-Provincialis nominatur (doc. 10), qui titulus ei in documentis pluries datur. Nec sibi in subscriptione epistularum mensium oct.-dec. 1853 (AG XXII R 3 et XXIII S 18) titulum Provincialis assumpsit, quod tamen in epistulis a mense febr. 1854 scriptis facere solebat (ita iam in prima post nominationem 30 I 1854 epistula conservata, scripta die 15 II 1854. - Orig.: AG XXII R 3).

Nominatio Superioris Provincialis supponit vel saltem includit erectionem Provinciae independentis, i.e. divisionem Prov. Germanicae. De facto tamen haec divisio ante diem 30 I 1854 perfecta non est, sicuti patet ex documentis infra transcribendis.

(35) Quamquam certum est P.em Mangold in ipsa Congregatione post hanc nominationem non esse consideratum ut Superiorem Provincialem pleno iure, nec Provincias Germanicam ac Austriacam revera esse divisas, tamen de authenticitate documenti hic transcripti dubium rationabiliter moveri nequit; est scriptum a P.e Smetana m.p. et sigillo cereo rubeo cum insigne CSSR et inscriptione *Sig. Vicar. Glis C.S.S.R. Transalp.* munitum. Subscriptio «Superioris generalis», sicut et initium documenti opinionem inducit, litteras patentes hac forma exaratas esse, ut magistratibus austriacis tuto exhiberi possent, quin tamen in ipsa Congregatione ad effectum plenum deduci deberent. Vicarius gen. enim in administratione Rei publicae Austriaca habebatur ut «oberste Vorsteher» (cfr docum. admissionis P.iis Passerat in *Spic. Hist.* 2 [1954] 206; in quibusdam documentis posterioribus ad gubernium directis — vide supra sub I — P. Smetana tamen ut Vicarius gen. subscrispsit).

NB. - Dalla seguente data comincia il governo del Superiore interino RP. Giuseppe Pigioli (36) già Ministro della casa.

1853 Ottobre 29. - [...] Nello stesso giorno alle 12 $\frac{3}{4}$ arrivò pure da Modena il MRP. Adamo Mangold, creato testé Provinciale della Provincia Austriaca, onde prendere congedo da soggetti di questo Collegio de' quali finalora era stato Rettore.

1853 Ottobre 30. - Domenica 24 dopo Pentecoste. Ripartì per Modena il suddetto MRP. Provinciale alla 7 $\frac{1}{2}$ antemeridiane (37).

9. - 1853 X 29. - P. I. Pigioli constituitur Vice-Rector Collegii in Montecchio.

Litterae patentes Rectoris A. Mangold ad Ministrum I. Pigioli, Montecchio 29 X 1853. - Orig.: AG XXIII S 18.

Al Molto Rev.do Padre Giuseppe Pigioli della Congr. del SS.mo Red.

Nella mia assenza e finché la Casa non venga provveduta di un nuovo Rettore, Ella è incaricata da me e da' Superiori Maggiori di fare le mie veci, potrà sbrigare gli affari, segnare le carte riguardanti i censi. Ella ha il diritto ed obbligo di rappresentare la famiglia religiosa in ogni affare che la medesima riguarda, ed avrà ogni altra autorità e prerogativa che compete a' Superiori.

In fede (38)

P. Adamo Mangold

Montecchio 29 Ottobre 1853.

10. - 1853 XI 24. - F. Bruchmann, Superior Prov. Germanicae, communicat nominationem P.is A. Mangold, ut Vice-Superioris Prov. Austriacae.

Epistula P.is F. Bruchmann ad P.em I. Silva, Rectorem in Finale (39), Alt-Ötting 24 XI 1853. - Orig.: AG XXII R 3.

Eadem epistula ad P.em I. Pigioli, Ministruum in Montecchio. - Orig.: AG XXIII S 18.

(36) PIGIOLI Iosephus; cfr *Spic. Hist.* 2 (1954) 267 n. 131. Pro nominatione eius vide doc. 9. - Medio tamen mensis sequentis novembbris P. Wallczek tamquam superior temporaneus pro P.e Pigioli suffectus est (doc. rob).

(37) In adnotationibus posterioribus huius chronicae ad diem 7 et 9 II 1854 P.i Mangold non titulus Provincialis, sed Vice-Provincialis tribuitur. In adnotatione ad diem 7 III 1854 Provincialis vocatur et inter parentheses adiungitur: « al presente definitivamente confermato il RP Mangold ».

(38) Forma publica (non habetur tamen sigillum) harum litterarum tantum eo explicatur, quod P. Mangold defivitiae a collegio in Montecchio discedendus erat, nec causas domus ulterius tueri poterat. In his litteris, sine dubio priinis post nominationem ad Provincialatum, P. Mangold in subscriptione nullum sibi titulum apposuit. P. Mangold usque ad nominationem diei 30 I 1854 Rector Collegii in Montecchio remansit (ita in doc. 11 et 15).

(39) Epistula quae est directa ad Rectorem, tamen inscripta est « Al molto Rev.do Padre, il P. D. Bartol. Pajalich ». An. 1853 tamen P. I. Silva erat Rector in Finale et P. B. Pajalich Ministruum et Magistrum noviciatus egit. Cfr *Registro cronologico per servire alla storia del Collegio di Finale di Modena* 225 ad diem 9 X 1853, et 230 ad diem 11 III 1854 (Orig : AG XXII R 10).

Reverende Pater Rector! (Minister!)

Reverendissimus Vicarius Generalis noster, Roma reversus, die 8va m. Novembris R.P. Rectorem Adam Mangold Vice-Superiorem Provinciae Austriaca designavit (40), eique omnes facultates usque ad nominationem ordinarii Superioris impartitus est. Nominatis Superioribus ordinariis, Provincia Austriaca definitive a Germanica separabitur.

P. R. Pater Mangold Viennae, ubi restituendam domum nostram curat jam vice Superioris Provincialis fungitur. Paternitati tuae ac toti familiae ergo licet in omnibus negotiis ad P.R.P. Vice-Superiorem Viennae se convertere.

Habitat in domo nr.21 Treppe 4 am Kleinen Ballplatz (41).

Paternitatem tuam cum tota familia in Domino salutat addictissimus tibi

P. Bruchmann
Sup.Prov.Germ.

Vetero-Oettingae d.24 m. Novembris 1853.

10^a. - 1853 XII 4. - P. F. Bruchmann exponit Provinciam Germanicam non esse divisam, sed unitam manere usque ad nominationes triennales.

Postscriptum diei 4 XII 1853 P. is Bruchmann m.p. exaratum in epistula sua ad P.em Silva diei 24 XI 1853.

P.S. Con gran piacere io ho sentito nella vostra stim. lettera del 13 Nov.,

(40) Secundum MADER 48 et HOSP, *Erbe* 416 die 8 XI 1854 P. Mangold Superior Provincialis nominatus est ad tempus (« provisorisch »), sed non indicatur fons huius assertio- nis. Documentum diei 8 XI 1854 invenire non potuimus, nec in AG, nec alibi. Supponimus fontem assertionis PP.um Mader et Hosp esse epistolam diei 24 XI P. is Bruchmann, supra transcriptam, et quidem primam partem primi periodi: « VG Roma reversus die 8 XI P.em Mangold Vice-Superiorem Prov. Austr. designavit ». Quia tamen ex doc. superius transcriptis patet nominationem P. is Mangold iam ante diem 8 XI perfectam (15 X; doc. 7), eique communicatam esse (28 X; doc. 8), verbum *designavit* sumi debere videtur hoc sensu, quod VG die 8 XI nominationem P. i Bruchmann communicavit ad annuntiandam subditis suis, qua occasione tamen nominatio diei 15 X immutata est quoad momentum et effectus in ipsa Congregatione. Notetur enim quod nunc P. Mangold Vice-Provincialis nominatur, in doc. 7 autem Provincialis.

In ambabus epistulis originalibus non habetur interpunctio in prima enuntiatione; ideoque indicatio diei 8 XI sumi potest tamquam ulterior determinatio verbi *designavit* (VG, Roma reversus, die 8 XI designavit), sed etiam tamquam ulterior determinatio verborum *Roma reversus* (VG, Roma reversus die 8 XI, designavit). Contra hunc ultimum modum enuntiationem P. is Bruchmann interpretandi tamen afferri potest quod contemporanei indicationem 8 XI cum verbo *designavit* coniunxerunt, v.g. P. Chiletti in *Elenco degli Ordini e Provvedimenti* (AG XXII R 2) in quo summaria epistularum superiorum notavit: « Questa lettera altro non contiene che la notizia, che il Rev.mo P. Vincario ritornato da Roma col dì 8 novembre ha destinato... ».

Quod non omnes contemporanei recte intellegebant, quid die 8 XI factum sit quoad nominationem P. is Mangold, sit exemplum *Chronica Frohnleitensis* 260: « Ex consensu SS. P. pii IX prior Provincia Germanica... divisa est, et quidem 1. in Provinciam Austria- canam, cuius Provincialis a R. mo P. Vic. gen. Smetana die 8 Nov. 1853 electus est Plurim. R.P. Adam Mangold... » Etiam in adnotatione ad diem 5 et 14 I 1854 in hac chronicā (p. 261, 262) P. Mangold Provincialis vocatur. Notetur tamen chronicam esse conscriptam an. 1867.

(41) Hic habitasse videtur P. Mangold (cum aliis Congregatis?), usquedum CSSR ad Maria Steigen rediret die 2 III 1854 (*Chron. Prov. Austr.* I 28), postquam Imperator Franciscus Iosephus die 6 I 1854 hunc redditum permiserat (Hosp, *Erbe* 420).

che i due candidati hanno ricevuto l'abito (42), ma non posso capire, perché Don Pasquale non è ancora arrivato. P. Chiletti (43) mi proponeva un dubbio nella sua lettera del 17 Nov. circa le cinque messe per il def. Padre Milden (44). Ma la soluzione di questo dubbio è facile. La Provincia Germanica è ancora una colla Provincia Austriaca (45). La separazione non è ancora finita, perché [=perciò] ogni Padre della casa deve applicare cinque messe per il def. Padre Milden (46). Quando le due Province saranno separate, lei sarà presto avvisato. Salutando specialmente P. Pajalich e tutti gli altri Padri e Fratelli, io resto con ogni stima

Vostro confratello
P. Bruchmann

4/12/1853.

10^b. - 1853 XII 2. - P. F. Bruchmann scribit de nominatione P.is M. Wallczek, ut Vicesgerentis P.is Mangold.

Ex postcripto diei 2 XII 1853 P.is Bruchmann m.p. exarato in epistula sua ad P.em Pigioli diei 24 XI 1853.

Euer Hochwürden P. Wallczek! (47)

Da ich erst aus Ihrem 1. Schreiben vom 18. Nov. erfahren habe, daß Sie Vicegerens des P. Mangold sind (48), so konnte ich die Adresse nicht an

(42) Die 22 X 1853 habitum Congregationis sumpserunt Fr.cl. Iosephus Mucciarini et Fr.l. Augustinus Guaraldi. - Cfr Cat. VII 11-12 n.31-32, et *Chronica di Finale* 225 ad diem 22 X 1853.

(43) CHILETTI Antonius; cfr *Spic. Hist.* 7 (1959) 191 n. 15.

(44) MILDEN Iosephus; *9 I 1827 Düren (Rheinpreuß), prof. 15 X 1844 St. Trond (Belgique), stud. 1844-1851 Wittem (Nederland) et 1851-1852 Alt-Ötting (Bayern), sac. 15 V 1852 Limburg a.d. Lahn, † 4 XI 1853 Bornhofen. - Necrologium ms in AG Pr.GI XI 6 e; *Kurze Lebensbilder* I 1-5.

(45) Quamdiu non existebat Provincia Austriaca tamquam unitas administrativa independens ab alia Provincia, simpliciter non existebat ut propria Provincia ideoque non erat dicenda Provincia. Melius igitur fuisse, si ante divisionem definitivam Provinciae Germanicae in duas Provincias prorsus separatas, Germanicam scil. et Austriacam, non de Provincia Austriaca, sed tantum de Vice-Provincia Austriaca sermo fuisse in documentis, quia nomine Vice-Provinciae indicatur unitas administrativa, quae habet quandam independentiam sed tamen remanet in Provincia cum aliis membris, et cuius superior est subditus superioris Provinciae. Recete ergo loquitur *Chronica di Finale* 228 ad diem 29 XII 1853 de «futura Austriaca Provincia».

(46) Ante nuntium nominationis P.is Mangold, quem P. Bruchmann die 24 XI 1853 ad subditos scripsit, sed non ante 2-4 XII — diem postscripti — misit, iam in Collegio de Finale quaedam notitiae de divisione Provinciae innotuerant, provenientes sine dubio ex Montecchio, ubi die 29 X nominatio P.is Mangold in Superorem Prov. Austriacae divulgata erat. Ex hac nominatione quidam Patres logice concluserant Provinciam Austriacam a Prov. Germanica esse separatam.

(47) WALLECZEK Matthaeus; *20 IX 1808 Frainspitz (Mähren), vest. 24 XII 1829, prof. 5 I 1831 Mautern, sac. 27 VII 1834 Graz, † 8 III 1866 Ketzelsdorf. - Cat. XI 1, 13 n. 86; Notitiae biogr. ms in AG Pr.A. XII 5 b; Brevis notitia biogr. in *Chronica Frohnleitensi* 270-271; MADER 418-419.

(48) In documentis non expresse dicitur, cur et quando P. Wallczek Vicesgerens («Rettore interino») P.is Mangold suffectus est pro P.e Pigioli (cfr supra doc. 9). Ratio tamen esse videtur, quod P. Pigioli a die 20 XI 1853 usque ad diem 19 I 1854 a Montecchio aberat, occupatus Missionibus in Tirol et in Regione Venetana (*Chronica di Montecchio* ad dies indicatos). Ex annotationibus in *Chronica di Montecchio* ad diem 24 I, 2 II et 6-7 II 1854 apparet, quod P. Pigioli post redditum suum regimen collegii denuo suscepit.

Sie machen. [...] Ihre Abreise war bestimmt und wurde nur durch die unerwartete Ernennung des P. Mangold zum Vizeprovincial verschoben. P. Mangold hat Ihre Abberufung im Auge und die wird geschehen, sobald Ihr Stellvertreter gefunden ist (49).

II. - 1854 I. 13. - Summus Pontifex in audiencia annuit propositae electioni P. is A. Mangold Superioris Provinciae Austriacae.

Ex rescripto S.Congr.EE.RR. - Orig.: AG XV D 3.

Beatissime Pater

Rudolphus Smetana, Vicarius Generalis Congregationis SS. Redemptoris Transalpinæ, ejusque Consultores (50), ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti, humiliiter sequentia exponunt (51).

Decretum Pontificium de die 2^a Julii 1841 N° XIII statuerat (52): « Electio Superioris Provincialis ejusque Consultorum Provincialium citra montes spectat ad Rectorem Majorem ejusque Consultores Generales; pro Provinciis vero transalpinis ad Vicarium Generalem cum suis Consultoribus, ita tamen ut electio a Rectore Majore confirmari debeat ». Cum autem Decreta Pontificia de 5 [=6] Septembribus (53) et 8 Octobris (54) h.a. Congregationem Transalpinam immediate Sanctae Sedi subjecerint, et Triennium, ad quod Superiores Provinciales actuales secundum N° XI praedicti Decreti de anno 1841 constituti fuerint, ultima die mensis Decembris hujus anni 1853 expireret, Oratores humiliiter petunt, ut Sanctitas Vestra sequentes electiones confirmare dignetur (55):

i. Pro Provincia Gallico-Helvetica: P. Nicolaum Mauron, qui hucusque munere Superioris hujus Provinciae laudabiliter omnino et piaeclare perfunc-

(49) « 1854 Febbr. 9. - Questa mattina il RP. Matteo Valleczech partì da questa casa diretto a Frohnleiten nella Stiria, ove è assegnato di stanza dal P. Vice-Provinciale » (*Chronica di Montecchio ad diem indic.*). - Die 20 II in Frohnleiten advenit (*Chronica Frohnleitensis* 270).

(50) Vide nomina Consultorum in doc. 2 (not. 13-16).

(51) P. Smetana misit hunc libellum supplicem ad P. em. Queloz, qui a die 6 IX 1853 Romae Procuratorem gen. CSSR Transalpinae egit, cum epistula diei 18 XII 1853 (Orig.: AG XV D 34 b). - In hac epistula P. Smetana breviter rationes dat, cur hos Patres ad Provincialatum proposuerit; de P. Mangold tamen non fit verbum.

(52) Decretum « Presbyterorum saecularium » diei 2 VII 1841 editum in *Acta integra Capitulorum generalium CSSR, 1749-1894*, Romae 1899, 301-303.

(53) Originale decreti diei 6 IX 1853: AG XIII A 15. - Edit.: AICG 303-304.

(54) Originale decreti diei 8 X 1853: AG XV C 71. - Edit.: AICG 304-305.

(55) Ut ex textu libelli supplicis apparet, supplicatio necessaria erat, quia post decreta 6 IX et 8 X 1853 Congregatio Transalpina non amplius Rectori Maiori sed S. Sedis immediate subjecta erat. Ergo etiam pro nominatione diei 15 X (doc. 7) consensus S.Congr.EE.RR. obtainendus erat. Ex hoc quod non existit supplicatio/rescriptum pro nominatione diei 15 X 1853 P. is Mangold ut Superioris Provincialis Prov. Austriacae, confirmari videtur nostra opinio, quod nominatio diei 15 X non erat intenta pro administratione interna Congregationis.

tus est (56), et ejus Consultores P. Aloysium Czech (57) et Michael Neubert (58), qui hucusque ejus Consultores Provinciales fuerint.

2. Pro Provincia Austriaca: P. Adamum Mangold, hucusque Rectorem Collegii Montecchiensis in Ducatu Mutinensi (59), et ejus Consultores P. Ludovicum Coudenhoove, Superiorem Philadelphiae in America, et P. Joannem Kral, antea Rectorem Collegii Oenipontani.

3. Pro Provincia Belgica: P. Franciscum Verheyen, [...] (60)

[4] Pro Provincia Germanica: P. Franciscum Vogl, [...] (61)

[5] Pro Provincia demum Americana: P. Joannem Ruland, [...] (62)

Ex audiencia SS.mi habita ab infra scripto D.no Secretario S. Congregationis Episcoporum et Regularium sub die 13 Januarii 1854. - Sanctissimus, praevia dispensatione super defectu annorum oblationis quoad designatos Provinciales Franciscum Vogl et Joannem Ruland, suprascriptas electiones ratas habuit et confirmavit. - Romae etc.

G. Card. de Genga, Praefectus

A. Bizzarri, Secretarius.

L.S.

(56) P. Mauron nominatus fuit Superior Prov. Gallico-Helveticae die I I 1851 (Orig. diploma in Arch. Prov. Lugd.; photocopia in AG), postquam cum rescripto diei 14 XII 1850 S.Congr.EE.RR. super defectu aetatis dispensaverat (Orig.: AG XV A 9). - Cfr *Spic. Hist.* 2 (1954) 260 n. 105.

(57) CZECH Aloisius; cfr *Spic. Hist.* 2 (1954) 244 n. 32, 4 (1956) 497 n. 42. - P. Czech fuit secundus Superior Prov. Helveticae, 1845-1847 (Copia diplomatis diei 20 III 1845 in Archiv. Prov. Lugd.; photocopia in AG).

(58) NEUBERT Michael; cfr *Spic. Hist.* 4 (1956) 491 n. 10. - P. Neubert fuit primus Superior Prov. Helveticae, 1842-1845 (Orig. diploma diei 10 III 1842 in Arch. Prov. Lugd.; photocopia in AG).

(59) Notetur quod P. Mangold praesentatur ut Rector collegii in Montecchio et non ut Provincialis, quod certo factum esset, quando nominatio diei 15 X (supra doc. 7) etiam in ipsa Congregatione valuissebat; tunc enim praesentatus fuisset sicut P. Mauron. - Est alia confirmatio, quod nominatio diei 15 X 1853 tantum propter actiones cum magistratibus publicis facta sit, sine effectu in ipsa Congregationis administratione.

(60) VERHEIJEN Franciscus; cfr *Spic. Hist.* 2 (1954) 278 n. 178; M. DE MEULEMEESTER, *Glances Alphonisiennes*, Louvain 1946, 155-156; *Nieuw Nederlandsch Biografisch Woordenboek* VI, Leiden 1924, 1300-1301.

(61) VOGL Franciscus; cfr *Spic. Hist.* 6 (1958) 373 n. 32.

(62) Pluries iam investigatum est de motivis P.is Smetana in substituendo P.e Ruland pro P.e Bernardo Hafkenscheid, qui mense oct. 1848 a P.e Heilig, Superiore Prov. Belgicae, Vice-Provincialis in America renuntiatus fuerat (AG X E 14 p. 1; WUEST, *Annales* I 199, 410-413) et die I I 1850 primus Superior Provincialis in America fuerat constitutus (AG X E 14 p.28; WUEST, *Annales* II 124, 442), sed hae investigationes exitum exoptatum non plene habuerunt (cfr. WUEST, *Annales* III 1, 10-11; V. HOLDEN, *The Yankee Paul: Isaac Thomas Hecker*, Milwaukee [1958], 168). Operae pretium igitur ducimus lectoribus exhibere partem epistulae P.is Smetana ad P.em Queloz diei 18 XII 1853 (Orig.: AG XV D 34 b), in qua de hac substitutione loquitur:

« Le P. Bernard a été 5 ans Vice-Provincial et puis Provincial de l'Amérique. Il s'est montré bien content de ne plus retourner en Amérique, il m'a prié même de ne plus le nommer supérieur. Je me suis réservé de le nommer supérieur des Missions en Irlande et de la nouvelle fondation qui se fait là dans le diocèse de Limerick. C'est une nécessité pour les PP. anglais d'avoir un chef des Missions qui s'y entend. Autrement nous ne réussirions pas. Tout le monde en convient.

Comme le P. Held a refusé le Provincialat de l'Amérique, j'étais obligé d'élire un autre Père: le P. Ruland sujet excellent sous tous les rapports, qui est jeune dans la Congrégation, mais aussi selon l'avis du P. Bernard le seul qui peut s'acquitter de cette charge difficile, et qui sera agréable à tout le monde ».

12. - 1854 I 25. - VG R. Smetana nuntiat P.i N. Mauron, se pridie rescriptum diei 13 I 1854 (doc. 11) accepisse.

Ex epistula VG R. Smetana ad P.em N. Mauron, Koblenz 25 I 1854. - Orig.: AG XV D 42.

Der Zweck dieser Zeilen ist nur, Sie in aller Eile in Kenntnis zu setzen, daß gestern die Confirmation der Provinziale angekommen ist. Der H. Vater hat alles so bestätigt, wie ich es vorgeschlagen habe. [...] Ich bin jetzt so mit den nöthigen Ausfertigungen überladen, daß ich Ihnen die Patente schwerlich vor 10 Tagen werde zuschicken können.

13. - 1854 I 30. - P. A. Mangold nominatur Superior Prov. Austriacae, «anno praeterito reconstitutae».

Litterae patentes VG R. Smetana ad P.em A. Mangold, Koblenz 30 I 1854. - Orig.: AG XV E 56 a.

Plurimum Reverendo Patri et in Christo dilecto Fratri nostro Adamo Mangold CSSR.

Cum Decreta Pontificia de diebus 6 Septembris et 8 Octobris a.p. Congregationem Transalpinam SS. Redemptoris immediate jurisdictioni S. Sedis subjecerint, exspirante proxime actualium Provincialium Triennio, novos cum Consultoribus meis Superiores Provinciales elegi, et Sanctitatem Suam humillime deprecatus sum, ut Ipsi has nostras electiones Apostolica Suâ auctoritate confirmare placeat. Quibus precibus SS.mus Dominus noster Pius PP. IX clementer annuere, et in audentia, quam Reverendissimus et Illustrissimus Sacrae Congregationis Episcoporum e Regularium Secretarius die 13 h.m. habuerat, has electiones ratas habere et confirmare dignatus est (63).

In vigore ergo hujus apostolicae confirmationis Te, Plurimum Reverende Pater, zelo Tuo, Tuaque pietate et prudentia confidentes, Superiorem Provinciae Austriacae anno praeterito reconstitutae (64), Consultores autem Tuos, et quidem primum simul et Admonitorem Admodum Reverendum Patrem Ludovicum Coudenhove, alterum Secretarium Admodum Reverendum Patrem Ioannem Kral constituimus (65), omnibusque Rectoribus, Superioribus, Presbyteris ac ceteris Congregationis nostre Alumnis Provinciae Austriacae adscriptis vel in posterum adscribendis praecipimus, ut Tibi debitum obsequium debitamque reverentiam et obedientiam praestent.

Pro residentia domum nostram Vindobonensem B.M.V. ad Scalas, cuius reconstitutionem Augustissimus e piissimus Austriae Imperator nuperrime

(63) Rescriptum diei 13 I 1854 supra doc. 11.

(64) An. 1853 tamen Prov. Austriaca non fuit restituta ut Provincia independens, ut vidimus supra.

(65) In inventario archivi generalis (I 107) hoc documentum indicatur ut «Litterae patentes confirmantes P.em Mangold in suo munere pro novo triennio». Vox *confirmantes* minus recte ponitur, quia prius non erat Provincialis vero sensu; potius *constituentes*, ut in ipso documento.

decrevit, tibi assignamus (66). Facultates novis Provincialibus easdem ac praecedentibus concedendas judicavimus, et impertientes Tibi praesentibus has facultates in Domino Te monemus, ut juxta Sacros Canones et nostrae Congregationis Regulas et Constitutiones Provinciam Tibi concreditam gubernes, et vitae communi et regulari disciplinae sedulo et indefesse invigiles.

Datum Confluentiae in Domo nostra ad S. Ioannem Baptistam die 30 Januarii 1854 (67).

Rudolphus Smetana CSSR.
L.S. Vicarius Generalis

14. - 1854 II 9. - VG R. Smetana transmittit P.i A. Mangold litteras patentes nominationis suaee.

Epistula VG R. Smetana ad P.em A. Mangold, Koblenz 9 II 1854. - Orig.: AG XV E 56 b (68).

Plurimum Reverendo Patri et in Christo dilecto Fratri nostro
Adamo Mangold CSSR, Superiori Provinciae Germanicae (69).

Transmitto Tibi sub A litteras patentes nominationis Tuae in Superiori Provinciae Germanicae, et sub B circulare, cuius promulgationem in omnibus communitatibus Provinciae Tuae instituas (70).

Facultates, quas anno 1851 Superioribus Provincialibus concessi (71), praecessor Tuus Tibi communicabit.

De nominationibus Rectorum et Superiorum singularum domorum serius Te certiore reddam (72).

Omnia demum prospera Tibi imprecor et Deum Omnipotentem per intercessionem B.M.V. Immaculatae et S.P.N. Alphonsi imploro, ut Tibi et regimini Tuo benedicant.

Confluentiae die 9^a Februarii 1854.

Rudolphus Smetana CSSR.
Vicarius Generalis

(66) Cfr supra nota 41.

(67) Hic dies 30 I 1854 nominationis Superioris Provinciae Austriacaem independentis, etiam est dies divisionis priscæ Provinciae Germanicae, quamquam divisio in documentis non expresse appetet uti hac die perfecta. - Ex documento modo transcripto liquet, quod minus recte dicitur apud MADER 48 et Hosr, *Erbe* 416, P.em Mangold nominatum esse Superiorum Prov. Austriacaem « modo definitivo » mense februario 1854. Nominatio facta est die 30 I 1854, annuntiatio subditis et executio factae sunt mense februario (die 18 et 21), uti infra videbimus. Etiam M. A. HUGUES, *Beiträge zur Geschichte der Congreg. des allrh. Erlösers*, ms in AG, 464 dicit Provinciales esse nominatos mense febr. 1854.

(68) Hanc epistulam, m.p. P.is Smetana exarataam, inter ea, quae P. Mangold reliquit, inveni. Ideoque dubium non est, eam revera a VG Smetana P.i Mangold esse transmissam.

(69) Erronee pro « Provinciae Austriacaem », uti patet ex doc. transmisso 13.

(70) Litterae circulares VG Smetana ad CSSR Transalpinam diei 30 I 1854. - Exemplaria a VG Smetana m.p. subscripta: AG XV D 44 et E 55, XXII R 3. - Edit.: *Doc Misc.* 382-384.

(71) Una cum diplomate nominationis Provincialium VG Smetana die 2 I 1851 pagellam facultatum transmiserat (AG XV E 12).

(72) Nominationes Rectorum mense martio tantum factae esse videntur. In Finale die 11 III nominatio novi Rectoris P.is B. Pajalich innotuit ac executa est (*Chronica di Finale*).

15. - 1854 II 18. - P. F. Bruchmann annuntiat electionem P. is A. Mangold Superioris Prov. Austriae et P. is F. Vogl Superioris Prov. Germanicae (73^a).

Epistula P. is F. Bruchmann ad quendam superiorem (73); Alt-Ötting 18 II 1854. - Orig.: AG XV E 57 (74).

Hochwürdiger Pater Superior!

In Folge der von Sr. Heiligkeit Papst Pius IX bewilligten Trennung der früher ganz Oesterreich, Deutschland und Modena umfassenden Provinz in zwei Provinzen: eine österreichische, welche außer den Häusern in Oesterreich auch die Häuser im Herzogthum Modena in sich begreift, und eine deutsche, welcher die Häuser in Bayern, Preußen und Nassau unterworfen sind (75), hat unser hochwürdigster Generalvikar zum Provinzial für Oesterreich den hochw. P. Adam Mangold, Rektor von Montecchio (76) ernannt und ihm als Consultor Admonitor den hochw. P. Coudenhove, als Consultor Secretair den hochw. P. Kral zugetheilt.

Zum Provinzial für Deutschland wurde von ihm der hochw. P. Franz Vogl, Rektor in Vilsbiburg ernannt, als Consultor Adm. aber P. Franz Bruchmann, als Consultor Secr. P. Johann Schoefl bestimmt.

Indem ich Ihnen für alle Liebe und allen Gehorsam, die Sie mir während der sechs Jahre meines schwierigen Provinziales erwiesen haben (77), vielmals danke, empfehle ich mich Ihnen und Ihrer Gemeinde frommen Gebete und bleibe in brüderlicher Liebe.

Ihr ergebener Mitbruder
P. Bruchmann
Sup. Prov. Germ.

Altötting den 18. Febr. 1854 (78).

(73) ad diem indic.), in Montecchio die 16 III novus Rector P. I. Silva inaugurus est (*Cronica di Montecchio* ad diem indic.).

(73^a) Ex iis quae in postscripto dicuntur coniicimus hanc epistulam missam esse ad P. em Ferdinandum Schranz, tunc superiorem hospitii in Modena. - Cfr *Catalogus CSSR Transalpinæ ineunte an. MDCCCLII*, München [1852], 18.

(73^b) Iam die 9 II 1854 ipse VG Smetana nominationem P. is Mangold Patribus in urbe Wien degentibus annuntiaverat, quod die 25 II Ordinariatu Viennensi communicavit (doc. 11 supra sub I B).

(74) Exsistit in AG XXII R 3 aliud exemplar orig. huius epistulae, in lingua italica, P. i. Silva, Rectori iu. Finale, transmissa.

(75) Vide divisionem accuratam quoad regiones et domos supra in doc. 4.

(76) Notetur quod hic etiam munus, quo P. Mangold usque illum diem fungebatur, dicitur Rector collegii in Montecchio. Vide ea quae dicta sunt supra in nota 59.

(77) Nominatio ad primum triennium die 30 XI 1847, ad secundum triennium die 1 I 1851 facta est.

(78) Huic epistulae sequitur postscriptum ad « Euer Hochw. P. Superior », in p. a P. e Bruchmann exaratum, in quo i.a.: « P. Mangold ist hier und wird morg[en] sein Provinzialat antreten, wo auch P. Vogl verkündet wird ». Quia P. Mangold et P. Vogl Provinzialatum inferunt die 21 II 1854, uti ex doc. 16 apparet, postscriptum exemplaris epistulae diei 18 II 1853 supra transcriptae appositum est die 20 II 1853.

16. - 1854 II. 21. - P. A. Mangold et P. F. Vogl ineunt Provincialatum in Alt-Otting.

Ex « Chronica Provinciae Germanicae, postea Germaniae superioris, ab ejus origine die 21 Febr. 1854 (79) usque ad diem 1 Julii 1865 », p.5. - Ms in AG Pr.GS.

Separatio Provinciae Austriacae et Germanicae. - Triennio absoluto P. Vicarius generalis R.P. Adamum Mangold Superiorem Provinciae Austriacae et R.P. Franciscum Vogl Superiorem Provinciae Germanicae nominavit. Natalitia ergo Provinciae Germanicae, a domibus in Austria et in Ducatu Münensi separatae, in annum 1854 sunt reponenda (80), et hac ratione habita Capitulum generale eidem Provinciae sextum inter reliquas Provincias locum assignavit (81).

Die 21 Februarii 1854 R.P. Bruchmann, hucusque utriusque Provinciae Superior (82), Vetero-Oettingae communitatem congregavit, definitivam separationem annuntiavit et R.P. Francisco Vogl, necnon R.P. Adamo Mangold, similiter praesenti, litteras formatas Vicarii generalis tradidit. R. Patri Mangold jam antea pecuniae, deposita, documenta et acta ad Provinciam Austriacam spectantia tradita fuerunt (83). Deinde R.P. Vogl sermonem habuit, in quo de suppressione Congregationis in Austria et Bavaria et de singulari ac vere mirabili Beatissimae Virginis, sanctuarium suum custodientis, protectione disserens, latius exposuit, quomodo eadem persecutiones, quibus adversarii nostri nos perdere studuerunt, in majorem Congregationis propagationem et prosperitatem cessarunt.

CONCLUSIO

Propter mutatas rerum circumstantias, peracta suppressione CSSR in Imperio Austriaco die 7 V 1848 exortas (nota 4), Provincia Austriaca nomen mutavit, et ob instantias Superioris Prov. F. Bruchmann (doc. 1 supra sub II) vi rescripti S.Congr.EE.RR. diei 24 IX 1849 (doc. 2 supra sub II) Provincia Germanica vocata est.

Postquam vero ad instantiam VG R. Smetana diei 14 IV 1852 (doc. 3 supra sub I B) decretum suppressionis revocatum fuerat (nota 31), mox de

(79) *Chronica Prov. Germanicae superioris* ergo iam in inscriptione diem natalicium Provinciae ponit diem 21 II 1854, qui est dies quo Superior Provincialis Vogl, nominatus die 30 I 1854, munus suum incepit.

(80) Ad oram manu posteriori stilo plumbico notatum est: « 10 Jan. 1853 », qui est dies in Prov. Monacensi vulgatus ut dies natalicius Provinciae (cfr supra nota 23).

(81) *Acta integra Cap.gen. 554 n. 1135, 2.* - Prima vice — in quantum scimus — ordo Provincialium stabilitus fuit a VG Smetana in *Mandata et praescripta generalia ad regimen spectantia pro omnibus Provinciis Transalpinis CSSR*, Bischofshofen 14 XI 1850 (Copia a P.e Mauron authenticata, Landser 20 II 1851, in Arch. Prov. Lugd.; photocopia in AG).

(82) Enuntiatio minus recta; P. Bruchmann Superior fuit « Provinciae Germanicae hucusque unitae ».

(83) Conservantur in AG XV E 59 varia documenta circa statum realem Prov. Austriacae post separationem Provincialium; i.a. 2 « Empfangs-Bestätigungen » subscriptae a P.e Mangold, Alt-Otting 18 II 1854, ac sigillo Superioris Prov. Germanicae munitae.

restituenda Prov. Austriaca et quidem a Prov. Germanica separata, a.v. de divisione Prov. Germanicae agi coeptum est (doc. 1). RM V. Trapanese cooperante (doc. 2 et 3) eodem an. 1852, 17 XII, rescriptum a S.Congr.EE. RR. obtentum est (doc. 4), quo Rectori Maiori commissum est «ut indulgeat pro constitutione duarum Provinciarum», id quod RM fecit die 10 I 1853, concedens P.i Smetana «facultatem constituendi Provinciam Austriacam a Superiore Provinciali separatim regendam» (idem doc. 4). Nullo modo dicitur, nec in rescripto S.Congr.EE.RR., nec in nota a RM Trapanese huic documento apposita, ipsam divisionem et novam erectionem actibus perfici in ipsis documentis relatis, ideoque nec dies 17 XII 1852 (contra DE MEULE-MEESTER; nota 22), nec dies 10 I 1853 haberi potest tamquam dies divisionis et erectionis (contra *Catalogos gen. et Catalogum Prov. Germ. super.*, BRANDHUBER, ZETTL, «traditionem» in Prov. Monacensi; nota 23).

Rescriptum iam die 22 I 1853 in manibus VG Smetana erat (doc. 5), sed ex officio non esse videtur publicatum (nota 25), nec nobis innotuit actus aut documentum, quo divisio Prov. Germanicae vel erectio novarum Provinciarum explicite peracta sit. Exstant vero varia documenta circa nominationem novi Superioris Prov. Austriacae, qua supponitur (vel saltem includitur) erectio Provinciae separatae; haec ergo documenta nobis praebere possunt notitiam diei divisionis Prov. Germanicae.

VG Smetana die 5 VIII 1853 facultatem dedit constituendi P.em A. Mangold Vice-Provincialem Austriacum P.i Bruchmann (doc. 6), qui tamen hac facultate, ratione nobis ignota, usus non est (nota 26 et 29). Tunc ipse Vicarius gen. P.em Mangold nominavit, et quidem Superiorum *Provincialem*, die 15 X 1853 (doc. 7). Haec nominatio P.i Mangold communicata est die 28 X 1853 (doc. 8) et saltem in domibus in Ducatu de Modena sitis aliquomodo divulgata est (doc. 8; nota 46). Quia tamen P.i Mangold in CSSR mensibus oct.-dec. 1853 nunquam titulus *Provincialis*, sed semper Vice-Provincialis tribuitur (nota 34), supponendum esse censemus documentum diei 15 X 1853 pro magistratibus austriacis praecipue exaratum fuisse (nota 35). Constat enim P.em Mangold die 30 X 1853 ex Montecchio profectum esse (doc. 8), ut curam de restituenda CSSR in Austria gereret, postquam pridie P.em I. Pigioli Vice-Rectorem in Montecchio constituerat (doc. 9), quo munere paulo post P. M. Walleczek per aliquot tempus functus est (doc. 10^b; nota 48).


Quamquam dies non certe noscitur, videtur P. Smetana die 8 XI 1853 P.em Mangold Vice-Provincialem nominasse (nota 40), res quae probabiliter ut «versio pro usu interno Congregationis» nominationis diei 15 X habenda est (doc. 10). Dici igitur posse videtur mense oct.-nov. 1853 et probabiliter die 8 XI domus in Imperio Austriaco et in Ducatu de Modena sitas in Vice-Provinciam iunctas fuisse, quae Vice-Provincia tamen ita cum domibus in Germania sitis unita manebat, ut administrationem a Superiori Prov. Germanicae omnino separatam ac independentem non efformaret (doc. 10^a).

Die 13 I 1854 Summus Pontifex annuit propositae electioni P.is Mangold in Superiorum Prov. Austriacae a Prov. Germanica separatae (doc. 11). Die 24 I VG Smetana rescriptum accepit (doc. 12), et die 30 I P.em Mangold

Superiorem Prov. Austriacae nominavit (doc. 13), quae nominatio ei die 9 II transmissa est (doc. 14). Eodem die 30 I, virtute eiusdem rescripti diei 13 I, P. F. Vogl nominatus est Superior Prov. Germanicae.

Die ergo 30 I 1854 Prov. Austriaca et Prov. Germanica pleno iure iuxta positae sunt, a.v. divisio Prov. Germanica perfecta est, et quidem reconstitutione priscae Prov. Austriacae et erectione novae Prov. Germanicae. Postquam die 18 II P. Bruchmann separationem Provinciae subditis suis annuntiaverat (doc. 15), die 21 II in Alt-Ötting ambo Provinciales, P. Mangold et P. Vogl, Provincialatum suum inierunt (doc. 16). Dies 21 II est ergo dies executionis nominationis, sed dici nequit, Prov. Germanicam hac die esse constitutam (*contra Chronicam Prov. Germanicae superioris; nota 79*).

STUDIA



JOSEPHUS LÖW

DE CAUSIS «HISTORICIS» BEATIFICATIONIS
NOSTRORUM SERVORUM DEI BREVIS COMMENTATIO

Cum inter Causas Beatificationis nostrorum Servorum Dei nonnullae inveniantur, quae ad Causas «historicas» pertineant, non erit incongruum paulum de illis in nostro *Spicilegio historico* disserere, quin tamen tractatum ex omni parte absolutum proponamus (1). Rem potius brevioribus capitulis absolvemus, incipientes a quibusdam notionibus generalibus et gressum facientes versum argumentum nostrum proprium.

Priusquam vero argumentum nostrum, sat complexum, enodemus, brevem iuvat proponere conspectum rerum tractandarum. Hac ergo divisione utamur :

1. De sanctitate «heroica».
2. Quomodo ad certum redigi possit, Servos Dei virtutes heroicas exercuisse, id est, vere sanctos fuisse?
3. De testibus in Processibus ad Beatificationem vertentibus.
4. De Articulis et Interrogatoriis.
5. De Causis «antiquis».
6. De Sectione Historica S. Rituum Congregationis et de Causis «historicis».
7. Quomodo Causae historicae pertractandae sint.
8. De Sectione Historica notitiae variae.
9. De Causis nostris conspectus summarius.
 - A. Conspectus generalis Causarum nostrarum.
 - B. Tabulae speciales.

(1) Qui accuratiorem instructionem desiderat, in *App. II* (*Bibliographia*) varia poterit invenire opera quibus optata impetrabit.

10. De Causis nostris historicis in genere.

11. De singulis Causis nostris historicis.

12. Conclusio.

Appendix I. Documenta circa Causas «antiquas» et «historicas».

Appendix II. Bibliographia selecta et notis referta.

I. DE SANCTITATE « HEROICA »

Si abstineamus a martyribus (2), de quibus in nostra commen-tatione non loquemur, fundamentum Causarum Beatificationis et Canonizationis est omnium christianarum virtutum exercitatio «heroica», seu breviter sanctitas «heroica». Notio sanctitatis «heroicae» non semper eadem fuit, immo his ultimis decenniis, et praecise a pontificatu Benedicti XV et Pii XI profundius investigata et explicata est.

Cum, sub saeculis V-IX circiter, populi barbari in orbem eccl esiae catholicae ingressi fuerint (3), rudes illi ac simplices homines sanctitatem in miraculis potius strepitantibus et in actionibus insolitis agnoscere maluerunt. Ex quo vero tempore ius et officium declarationis canonicae sanctitatis («Canonizatio») ab episcopis localibus ad ipsam Sedem Apostolicam transivit (sub saeculis X-XII circiter), et cum interea indagatione quoque theologico-scholastica melius clariusque determinaretur natura et hierarchia virtutum, ac simul methodus iuridica, qua ad Canonizationem perveniretur, diligentius et subtilius evolveretur, magis magisque ipsa sanctitas eminens («heroica») seu omnium christianarum virtutum eximia exercitatio ut verum et principale fundamentum Canonizationis agnita est.

Saeculis XIII-XV studium, examen et iudicium processuum Canonizationis ordinarie a Commissariis pontificibus (saepe a tribus Cardinalibus) et in Concistoriis publicis absolvebatur; nec mirum quod deficiente instituto stabili cum probatis et definitis traditionibus, in pertractandis Causis Canonizationum illius epochae nondum schema ex omni parte absolutum observatum fuerit. Cum

(2) Cfr René AIGRAIN, *L'Hagiographie. Ses sources, ses méthodes, son histoire*, Paris, Bloud & Gay, 1953, ubi habetur ampla bibliographia; hic describuntur opera summi valoris de hac re P. is H. DELEHAYE. - Vide etiam LEBRETON-ZEILLER (3^a ed. ital., curâ P.A. FRUTAZ), *La Chiesa primitiva*. Torino, Editrice SAIE, 1958, passim, et spec. pp. 515 ss.

(3) In App. II (Bibliographia) indicantur etiam opera vel studia quae ad historiam cultus et instituti Canonizationis (Beatificationis) pertinent. Ceterum, meliores libri quae historiam Ecclesiae medii aevi pervulgant, etiam de cultu Sanctorum illis temporibus quodammodo agunt.

vero inter saeculum XV Auditoribus Rotae romanae, ex vetusta traditione in subtilitatibus processuum canonicorum versatissimis, pertractatio quoque processuum Canonizationis demandata fuisse, mox methodus magis systematica in illis examinandis et diudicandis vigere coepit. Notatu dignum, eodem tempore terminum *technicum* virtutis «heroicae» primum apparuisse, quasi fuisse species quaedam mensurae, ad dignoscendum in quo gradu et in qua amplitudine singulae virtutes in vita herois christiani persistissent.

Anno tandem 1588 Sixtus V, in disponendo novo et rationali modo Curiam romanam, constituit etiam S. Rituum Congregationem, cui praeter ea quae proxime ad cultum divinum pertinent, totam Causarum Canonizationis tractationem commisit. Non multo postea partes Auditorum Rotae plene ad S. Congregationem transierunt; sequentibus vero saeculis, a variis Summis Pontificibus, maxime ab Urbano VIII, prout experientiae factae expostulaverunt, totus ordo praeparationis, examinis, studii et pertractationis Causarum in subtile normas elaboratus est, et postea, nostris diebus, dum Codex Iuris Canonici confectus est, in 142 canonibus succinctim depositus est (can. 1999-2141); nec defuerunt, absoluto Codice, istic et illic, minores innovationes et determinationes. Canones supradicti utique loquuntur de «heroicitate» virtutum, quin tamen exhibeant eius notionem.

Subvenit nobis Benedictus XIV, antea Prosperus Lambertini, qui, in S. Rituum Congregatione per plurimos annos ab imis quasi servitio praestito, praecipue ut Promotor Generalis Fidei, adeo profundas sibi omnium negotiorum in Causis Sanctorum occurrentium cognitiones acquisivit, ut maximum illud opus plurium voluminum edere potuisset, cui titulus : *De Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione*, verum totius rei tam multiplicis armamentarium iuridicum, historicum, practicum, quod nostris quoque diebus cum fructu consulitur. Ipse Benedictus XIV libenter in sermone, Congregationi Rituum proprio, simpliciter «Magister» vocatur (4).

Videamus igitur, quid «Magister» de virtute «heroica» doceat. Sua est notio illa, quae in S. Rituum Congregatione, traditio ne ab Auditoribus Rotae accepta, penitus elaborata, in communem possessionem scriptorum rei theologicae et asceticae transivit. Ve-

(4) Breviter strictimque de Benedicto XIV actum est recenter in *Encyclopedie Catholica* II, Città del Vaticano [1949]: Giuseppe POU Y MARTÍ, *Benedetto XIV, Papa*, col. 1281-1283, et Livario OLIGER, *Benedetto XIV, Canonista*, col. 1283-1285. RP Olinger breves ac accuratas notitias dat de magno opere classico a nobis nominato.

rum enim vero malimus definitionem Benedicti XIV descriptionem potius nec simplicem nominare; eccliam :

Virtus christiana, ut sit heroica, efficere debet, ut eam habens, operetur expedite, prompte et delectabiliter supra communem modum, ex fine supernaturali et sic sine humano ratiocinio, cum abnegatione operantis et affectuum subiectione (5).

In hac «Magistri» definitione descriptiva notari potest quae-dam contradictio : «operetur... delectabiliter... cum *abnegatione* operantis»; sed magis illud : «*supra* communem modum», quod adeo quasi ut nota propria «heroicitatis» virtutum sumitur, ut ex theologorum communi doctrina virtus «heroica» a virtute christiana «simpliciter perfecta» distinguatur externo quodam cando-re splendifluo, seu ex eo, quod sit actio «extra» ordinaria, excedens scilicet ordinarium modum (vocabulum «ordinarius» hic sumitur cum plena significatione, igitur «in pleno ordine», et ideo «bene et perfecte» factum); vel aliis verbis, virtus heroica consideratur tamquam gestum quoddam *singulare et insolitum*, quod directe hominum *admirationem* movet.

Talis notio virtutis heroicae longe lateque pervasit campum theologicum, asceticum, practicum. Virtus heroica computabatur ut *exceptio* ab ordinaria via et vita christiana perfectionis, et ideo ut res rara et speciosa. Heroicitas igitur virtutum ut *privilegium* quoddam peculiare considerabatur, quod *paucis* tantum electis elargiretur. Imago ergo Servi Dei ad Beatificationem proponendi (sicut et Beati aut Sancti) necessario variis et multiplicibus «heroismis» exornanda esse putabatur. Hagiographia pervulgata biographias herorum suorum factis, gestis, dictis extraordinariis, mirabilibus mirandisque, adimplendas esse censuit. Postulatores Causarum in praeparandis processibus facile periculum subierunt, mira prae solida virtute intromittendi. Universim, quod peius erat, fideles cultiores ipsique sacerdotes et religiosi ab adipiscenda virtute «heroica» seu vera sanctitate consummata quasi perterriti sunt, quam paucis reservatam esse audiebant, legebant, credebant. Neque defuerunt Causae Beatificationis, in quarum tractatione ex interpretatione traditionali et currente naturae virtutis heroicae difficultates movebantur et dilationes exoriebantur ex eo promanantes, quod aliquae S. Rituum Congregationis competentes personae vitam cuiusdam Servi Dei «ordinaria» tantummodo sanctitate instructam esse praetenderent, cum solita mira et spectabilia plus

(5). BENEDICTUS XIV, *De Servorum Dei Beatificatione...*, ed. Prato, vol. III (1840) p. 222 - Lib. III, Cap. XXII, n° 1. - Vide etiam in *App. II* (Bibliographia) sub an. 1933 (2), HOFMANN, *Die heroische Tugend*.

vel minus defecissent. Ex earundem Causarum iniqua condicione, at multo magis ex consideratione communis illae et diffusae persuasionis de *singularitate* virtutis heroicae seu verae sanctitatis et perfectionis christiana, clara nascebatur necessitas auxilium reperiendi illis malis — talia enim esse reapse coeperunt.

Inter multa et grandia merita, quorum causa mundus catholicus debitor est gratitudinis erga Summum Pontificem Benedictum XV (1914-1921), non ultimum, sed fere ignotum, hoc est, ut una cum tunc Secretario S. Rituum Congregationis Alexandro Verde, postea Cardinali (6), doctrinam currentem circa virtutes heroicas, ad genuinam veritatem reduxerit.

Tunc mos erat lectionem decreti heroicitatis virtutum cum certa solemnitate circumfulgere: lectum fuit a Secretario Congregationis Rituum, praesentibus Summo Pontifice, numerosis prelatis et multitudine fidelium, qui cum persona Servi Dei, de quo agebatur, peculiari iungebantur necessitudine; lectione vero perfecta, Papa ipse sermonem proferre solebat, occasione appropriatum (7).

Talem ergo nacti opportunitatem — legendum occurrebat decretum de heroicitate virtutum Servi Dei Ioannis Bapt. a Burgundia OFM (9 I 1916) — Secretarius A. Verde in textu decreti et Benedictus XV in sequente allocutione, concordatis propositiis, de intima natura sanctitatis, i.e. de heroico exercitio virtutum ex parte eiusdem Servi Dei disertis verbis sententiam edixerunt.

A. Verde his utebatur verbis :

Constare [Servum Dei] ... *quae pro sui status condicione propria erant*, sancta inviolateque, ad obitum usque, adimplevisse munera (8).

Fortioribus clarioribusque verbis Benedictus XV institit :

Sanctitas proprie consistit in sola conformitate cum divina voluntate, expressa in continua et exacta adimpletione officiorum proprii status (9).

(6) Alexander Verde, *27 III 1865, Sant'Antimo, dioec. Aversa, prov. Caserta; sac. 31 III 1888. - In S. Congregatione Rituum, minoribus perfunctus officiis, tandem Generalis Fidei Promotor et postea Congregationis Secretarius factus est, ita ut Causarum per tractationem perdiscendo exauriret; demum, 14 XII 1925 S. Rom. Ecclesiae Cardinalis creatus est, multarum Causarum patronus vel, uti publice dicitur, Ponens seu Relator. † 29 III 1958.

(7) Vide *ex.gr. Spic.hist.* 7 (1959) 5-12, ubi allocutionem S. Pii X rettulimus quam habuit die 24 I 1909, postquam perfectum fuit Decretum super miraculis S. Clementis M. Hofbauer pro Canonizatione, simulac Decretum quo statuitur «tuto procedi posse» ad Beatificationem nunc S. Ioannae ab Arcu.

(8) AAS 8 (1916) 13.

(9) Verba laudata exscripsimus ex opere *Sermonum Summaria ac Documenta*, cura Postulationis gen.lis OCD edito, p. 10. - Vide *App. II (Bibliographia)* sub an. 1949 (2).

Sapientissima ac salutaris haec doctrina, genuinae notioni heroicitatis plane concors, proximis annis a sollerte et expertissimo Secretario A. Verde — datis occasionibus libenter arreptis — constanter prosecuta et amplius exposita fuit, Summis Pontificibus Benedicto XV et Pio XI plane ac plene consentientibus et comprobantibus.

Nostri esse non potest, hic colligere omnia, quae ad argumentum quoquo modo pertineant; sufficiat pauca quaedam maioris momenti attingere.

Imprimis notanda veniunt quae idem Mons. Verde, occasione declarationis circa heroicitatem virtutum Servi Dei Antonii Maria Gianelli, episcopi de Bobbio (Italia, prov. Piacenza) an. 1951 canonizati, copiose exposuit (agebatur de Causa, ob difficultates oppositas heroiciti virtutum propter assertum defectum «extraordinarii» nimis aequo dilatorie pertractata) :

Neque in heroicis diiudicandis virtutibus incertum fas est haerere atque anticipitem,... eo quia singularia desint gesta (insolita atque extraordinaria desiderantur facta), quae stupore percellant hominum mentes... Ad elicienda facta miracula et insolita opus est idonea occasione. Sed idonea haec occasio, ut plurimum, rara, ab hominis arbitrio non pendet, neque persecutiones, e.g. neque pestes neque terrae motus excitari pro libitu possunt;... ideoque, si in istiusmodi factis constitueretur sanctitas, necessario consequeretur sanctitatem ipsam non pendere ab hominis voluntate, quod est absurdum. [Sed quid de verbis Magistri «supra communem modum»? - In his non includitur] substantia heroicitatis, [sed indicant simpliciter] proprietatem accidentalem, ex comparatione ducta, ita ut aliquid absolutum praecedere debat in quo heroicitas fundetur, ut in martyribus; in ceteris vero habetur in fideli et continuata praeceptorum custodia, una cum exacta eorum omnium, quae proprii muneris sunt, observantia. Homo enim propter naturam in hoc ordine rerum a peccato originali sauciatam, moraliter non potest uniformiter et invariabiliter longo tempore agere (10).

Alium quoque casum huiusmodi praeterire non possumus: subiectum enim, de quo disceptatum est, noster Servus Dei Ioannes Nep. Neumann erat, episcopus olim de Philadelphia (USA, Pennsylvania), cuius Causa similes subierat vicissitudines sicut illa iam memorata episcopi Gianelli. Quid enim «heroici», aiebant opponentes, qualiscumque episcopus agit, qui munus sibi concretum strenue et fideliter adimplevit? Nihil aliud fecit quam officium commissum debite excolere. Omnis bonus episcopus hoc facit: ergo omnis bonus episcopus esset «canonizabilis». Insistunt

(10) AAS 12 (1920) 170.

defendantes : verum, si episcopus officium suum non solum simpliciter et communiter «bene» expleverit, sed si pleno sensu incessanter et indeficienter ac absolute fideliter, per annos et annos, onus suum quotidie patienter portare perseverat, tunc ordinem «ordinarium» excessit et «heroicum» attigit. Sed, audiamus ipsum decretum de casu nostro eloquens :

Quod paeclaris haec super heroicis venerabilis Servi Dei Ioannis Ne-pomuceni Neumann virtutibus Causa, quae perdifficilis visa fuerat solutionis, quaeque idcirco omnem fere spem progrediendi ad ulteriora deponere fuerat coacta, intermissum resumere potuerit actorum cursum eoque subinde adduci, ut optatum sortita iam fuerit exitum, hoc intrinsecæ suimet bonitati acceptum in primis ipsa debet referre, postmodum autem Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papae XV.

Qui inde a primo, quem, post promulgatum decretum super heroicis virtutibus venerabilis Servi Dei Ioannis Baptistae a Burgundia, habuit, sermone, et alias deinceps, prout opportune monebat locus, in causis nominatim item super virtutibus venerabilium Servorum Dei Antonii Mariae Giannelli et Marcellini Iosephi Benedicti Champagnat, quid sit, in quo christianorum virtutum consistere debeat heroicitas, Angelici Doctoris maxime in nixus doctrina, et Benedicti XIV, sacri huius fori magistri, Suique in Bononiensi sede et in Petri cathedra, immortalis memoriae Praedecessoris, fratus auctoritate, e proposito est persecutus; ex eisque, quibus heroica virtus coalescit, elementis, quodnam praecipuum sit habendum adeo, ut sine illo nulla dari possit heroicitas, enucleavit posuitque in aperto; illudque in una dumtaxat situm sit oportet fideli, iugi et constanti proprii status munerum et officiorum perfunctione. Quumque praefato potissimum ex capite ista, quae super heroicis pariter virtutibus, abhinc decennium et ultra, inita fuit disceptatio, in non paucas inciderit difficultates dissentientesque experta fuerit amplissimos sacri huius Ordinis suffragatores, optime se gessit egregius, quem causa nacta fuit, Patronus, cum quae, tam claro tamque excelsa admoto et praelucente lumine, commonstrata sibi fuerat, eam animo magno, confidenti et alaci ingressus est viam. Haec namque, dum in altera praeparatoria Congregatione ad ulteriora pandidit aditum, in postremo, quod proxime subsecutum est, certamine peperit victoriam; quandoquidem quae duo, sive circa probationum instructum sive circa totius Causae summam, praestanda erant, haec praestitisse dicendi sunt actores.

Sane, quae in medium proferuntur probationes, dotibus a iure requisitis esse praeditas, clare, distincte et explanate iidem ostendere, quippe qui oblatam sibi nullam siverunt elabi occasionem, quin caute patienterque, semel iterumque adnotarent, facta, quae paulo ante describenda curaverant, ab oculatis enarrari testibus, eisque auritos quandoque accedere nec non documenta, sicut nempe statuunt iubentque conditae leges. Hac via et ratione iustum atque legitimum causae praesto esse iuridicum fundamentum, planum facere dum sategerunt illi, insimul ad heroicarum virtutum, de quibus in praesentiarum agitur, necessariam accurandam probationem animum viresque

suas converterunt. Quo autem facilius quis posset aequo iustoque pretio singula aestimare facta, quae iudicialibus consignata sunt tabulis, hoc aptissimum ipsis visum est consilium, illudque propterea exsecuti constanter fuerunt; videlicet res a Dei Famulo gestas sic distribuere, ut unicuique vitae stadio variisque ab eodem susceptis et adimpletis muneribus officiisque propria responderet peculiaris quaedam factorum series. Quod quidem quantum contulerit ad rectum de heroicitate virtutum exercendum iudicium, exinde dignoscere fas est fermeque dimetiri, quod scilicet necessitate quadam factum sit, ut, nonnisi habita ratione circumstantiarum, iudicium ipsum, prout eiusdem fert flagitatque natura, instituere datum fuerit atque absolvere. Ex eadem insuper inita servataque disceptationis methodo illud etiam percommode contigit, ut perspicuum quoque fieret, quae quotque in christiana perfectionis itinere, quod mature admodum venerabilis Ioannes Nepomucenus arriperat, de die in diem, de virtute in virtutem fecerit ille progressiones; in ista enim animi comparatione, qua quis movetur ad perfecte agendum, omnem manifesto se prodere heroicam virtutem, communiter theologi docent atque sacrorum canonum interpres; accommodateque suadent haec celebris Rosignolii verba: *Ratio conservanda virtutis est eius perpetuus usus et exercitatio; est enim virtus talentum illud evangelicum, quod nullo modo otiosum relinqui permittit Deus. Quare, ut obeantur virtutum officia, summopere vigilandum est, omnisque, quae offertur, occasio, avide arripienda; si quidem in virtutis curriculo qui non pergit, regreditur* (apud Benedict. XIV, lib. III, cap. XXI, num. II).

Ita, allatis iterum et prope probeque inspectis Famuli Dei actionibus et operibus, eorumque agnita praesertim et congrua statuta aestimatione, iuxta criteria a Benedito XIV aliisque scriptoribus in hac peculiari rerum disciplina peritissimis, tradita, nedum, contra atque prima fronte videri potuit, planam et expeditam sese perhibuit causae huius diiudicatio, verum et, quibus eadem intus pollebat et pollet, emerserunt apertamque in lucem prodierunt praestantia atque dignitas. Quamobrem, huc quum deductus sit sermo, benemerentissimae Congregationi Sanctissimi Redemptoris licet gratulari, utpote quae, recentior potius quam esset aetate, praeter Parentem legiferum Ecclesiaeque Doctorem, virum nomine et sanctitate celeberrimum, Alfonsum Mariam de Ligorio, duobus quoque suis gloriatur alumnis, quibus supremi Sanctorum iam decreti sunt honores, sanctis nimirum Gerardo Maiella et Clemente Maria Hofbauer, aliisque non paucis ex eadem legiferi Patris disciplina profectis eiusque spiritu imbutis et eruditis, quorum penes sacram rituum Congregationem beatificationis agitantur Causae, eosque inter venerabilis exstat atque eminent Ioannes Nepomucenus Neumann, cuius de heroicis virtutibus, plures ante annos, institutae quaestioni strenue invicteque decertantes, bene adiuvante Deo, evicerunt actores, ut tandem finem imponeret generalis, quae, die vigesima nona superioris mensis, coram Sanctissimo Domino nostro coacta fuit Congregatio (II).

Fidelitas ergo ac perseverantia continua, perfecta, quamquam forte omnino silentiosa, rebus, factis, dictis insolitis et peculiaribus carens, essentia est virtutis heroicae, virtutis scilicet «supra communem modum» exercitatae. Id ergo, quod virtutem heroicam supra virtutem ordinariam superelevat, est eius exercitium, super omnes dierum, circumstantiarum, proprii animi affectuum undas, fluctus et reflectus, intrepidum, indesinens, vere arduum: ordinaria et quotidiana *extraordinarie*.

Hic nobis in mentem venit notum illud Pii XI frequens proverbium: «Il terribile quotidiano!» — «Quotidianum illud terrificum». Sagax ille et doctus rerum ponderator propriam experientiam ponderis aestusque, quos series dierum interminabilis in gravissimo munere inexorabiliter omni die sibi imponebant, arguto illo dicto subtiliter significare intendit: habuit rationem, edixit sententiam.

Hoc carum sibi proverbium, hanc comprobata sibi experientiam commoventibus verbis publice exposuit nota illa allocutione, quam habuit occasione lectionis decreti super heroicitate virtutum Fratris Benildis, Scholarum christianarum sodalis, cuius vitae status ac condicio hoc necessarie effecit, ut «quotidianis» tantum humilibusque virtutibus, si ita loqui licet, vixerit. Haec allocutio habita est die festi Epiphaniae Domini an. 1928; eius primam partem in *Appendice I* doc. III transscribimus, ne per textus longitudinem expositio currens nimis aggravetur.

Nemo sane, qui Pii XI profundissimum sensum religiosum in officiis sublimis munera sui persequendis animique firmitatem ac constantiam ad ultimum usque inspexerit, mirabitur, eum in diiudicanda virtutum heroicitate eandem prorsus persecutam fuisse viam ac praedecessor Benedictus XV. In aliis quoque allocutionibus, quas Pius XI occasione publicationis decretorum super heroicitate virtutum Servorum Dei ad praesentes habuit, non raro invenies similes elocutiones, iudicia et sententias de natura perfectionis seu sanctitatis christiana, vel de proprietatibus virtutis heroicae sicut illas Benedicti XV. In hac vero sede nobis fas non est, ulterius in re commorari.

Nunc vero huius primae partis argumentum breviter convenit reassumere: ratio principalis, cur quisquam ad Beatificationem et subsequenter ad Canonizationem proponi et pervenire potest, est fundamentaliter *sanctitas vitae* seu *perfectio christiana personalis*,

quam quisque usque ad exitum vitae attigerat; haec vero agnoscitur et diiudicatur, non ex operibus miris, extraordinariis, specularibus (quae concomitanter possunt adesse), sed *ex exercitio virtutum christianarum in gradu heroico*. Haec autem virtutum «heroicitas» consistit essentialiter in *quotidiana, strenue continuata adimpletione officiorum proprii status*, quibus subiectum fungitur.

Si talis virtutum heroicitas in subiecto Servo Dei probari potest iuxta normas canonum Iuris canonici, i.e. mediante pertractatione «Causae» apud S. Rituum Congregationem, eâdem heroicitate legitime proclamatâ, et si superveniant miracula ad eiusdem Servi Dei intercessione impetrata et canonice recognita, via aperta est ad maximam gloriam, quam Ecclesia homini christiano tribuere potest, ad Beatificationem nempe et, post alia nova miracula, ad Canonizationem.

Notetur denique uti corollarium huius primae partis, ex notione correcta virtutis heroicæ derivandas esse non paucas conclusiones practicas pro theologia virtutum, magis pro theologia ascetica, maxime vero pro institutione populi christiani in cognitione, amore et appetentia sanctitatis seu perfectionis christianaæ, quae sicut omnibus est proposita, omnibus patet; sanctitas certo diversa, videlicet secundum proprium statum, aetatem, sexum, conditionem vitae. Meminerint hoc quoque hagiographi moderni, quorum adhuc non pauci propter exaggeratam interpretationem virtutis heroicæ, damnosam convictionem fovebant et fovere continuant, sanctitatem christianam *pauorum esse privilegium* et consistere in rebus stupendis, miris at certo extraordinariis, inclusis omnium generum miraculis, gratiis et donis, communi christiano-praeclusis. Nec ultimo, correcta virtutis heroicæ notio multum iuvabit tum Causarum Postulatores in parandis et prosequendis Processibus, tum ipsos S. Congregationis Rituum Consultores et Praelatos officiales aliosque (advocatos, procuratores) quibus competit de iure, iudicium parandi vel ferendi super heroicitate virtutum Servorum Dei (12).

2. QUOMODO AD CERTUM REDIGI POSSIT,
SERVOS DEI VIRTUTES HEROICAS EXERCUSSE, ID EST, VERE SANCTOS FUISSE?

Quoniam sanctitudo (perfectio christiana *personalis*) i.e. existentia virtutum heroicarum, vel quod idem est, exercitium virtu-

(12) Non possumus hic rationem habere quaestionum circa essentiam sanctitatis in homine christiano, quae his temporibus agitantur ab iis qui in philosophia certos sequuntur modernos ratiocinandi modos, ab «existentia» denominatos.

tum heroicum in aliquo Servo Dei ratio principalis, si non unica, est, propter quam ad Beatificationem admitti possit, quaestio suboritur, quomodo ab hominibus iudicium moraliter certum edici possit de re omnino interna, immo supernaturali; Deus enim solus scrutatur abscondita cordium et novit statum et gradum gratiae sanctificantis, quem quisque quoquo vitae momento adeptus est, ita ut iudicium infallibile Ipse solus promulgare possit.

Attamen haec difficultas non adeo gravis est, ut ei opportune occurri nequeat: homo etenim, uti est compositus animâ et corpore, necessarie omnino vel etiam involuntarie, internos animi affectus et status exteriori habitu, gestu, vultu prodet. Verum est, dari homines nefandos qui peculiarem possidere videntur facultatem dissimulationis propriarum intentionum et cogitationum, quibus etiam per notabile tempus bene succedere possunt ea, quae subdole moliuntur vel intimo animo pervolvunt; pergit tamen vivere quasi lex ab ipsa humana natura condita, ut diurne ac continue alium se ipsum fingere quam quisque totus est, «psychologicæ» (moraliter) sit impossibile. Investitur sane homo exterior interna animae suae vel bonitate vel turpitudine. Hoc valet de qualitatibus moralibus naturalibus, de «charactere» vel «temperamento» vel de aliis innatis donis et proprietatibus; hoc idem valet de qualitatibus supernaturalibus: de gratia et virtutibus, de domino sui ipsius Dei ratione, quae omnia, vi ipsius animae, in externos actus et habitus refunduntur.

De hac re quotidiana convivendi humani experientia satis docti sumus, nec necesse est ulterior probatio. Possibilitas itaque, ex summa observationum circa habitum alicuius hominis internas eiusdem proprietates, intentiones et qualitates verissime iudicandi, viam aperit construendis Processibus ad investigandum et proinde diiudicandum, num aliquis Servus Dei vere vir «sanctus» fuerit, i.e. num sibi virtutes heroicas acquisiverit, aliis verbis, num ad heroicitatem virtutum pervenerit.

Quocumque modo se habeat cum proverbio antiquorum «De internis non iudicat praetor», nonne omnes nos, naturali nimirum et omnibus communi modo in mille casibus humani commercii, millies mutuo ab externis impressionibus, quas oculis cernimus, quas auribus percipimus, ratiocinamur de alterius internis affectibus, intentionibus et propositis? Hoc idem fit, ad normam et sub severa disciplina iuris, adhibitis sanctionibus et cautelis, quas conscientia pariter atque scientia sacra et profana suggerere possunt, in Processibus Beatificationis, quos Ecclesia instituit et proprio

et probatissimo apparatu S. Rituum Congregationis curat per tractare.

Agitur ergo de actione propria processuali, cuius obiectum indagationis appetendum est ope depositionum et enarrationum a testibus aptis et idoneis qui apparent ante tribunal, a quo per viam successivae disceptationis et discussionis ad iudicium et sententiam pervenitur. Dicendum igitur primum de testibus.

3. DE TESTIBUS IN PROCESSIBUS AD BEATIFICATIONEM VERTENTIBUS

Nostra intentio est, in hoc tractatu tantummodo de Processibus *fundamentalibus agere*, quibus proprie et de proposito materia paratur ad diiudicandos Servos Dei, videlicet num virtutum omnium heroicitatem revera adepti fuerint; ceteri Processus praetermittuntur (13).

Processus, quibus practice materia utilis pro iuridica Causae disceptatione colligitur, ratione auctoritatis inquirentis sunt «ordinarii» et «apostolici», quod significat, eos construendos esse, primos auctoritate propria competentis Ordinarii loci, alteros auctoritate Sanctae Sedis, quam in casu exercet S. Rituum Congregatio, salvis certis decisionibus maioribus, quae Summo Pontifici reservatae manent. Ratione ipsius indagationis habentur Processus «informativi» — sunt iidem ac ordinarii — seu de fama sanctitatis (et miraculorum) in genere, et Processus apostolici, iterum duo, primus de fama sanctitatis (et miraculorum) in specie et alter de virtutibus (et miraculis) in specie. Prior facile dispensatur, si tempus a Processu ordinario defluxum non tam longum sit; alter per se indagationem super simplice at vera sanctitatis fama ultra protendit ad demonstrationem et probationem virtutum in grado heroico.

Ratio propria horum Processuum facile dignoscitur. Primum quod occurrit in aperienda Causa Beatificationis, est informare Tribunal dioecesanum (ordinarium), num in casu praesentando adsit genuina, solida *fama* sanctitatis Servi Dei — de exsistentia porro ipsius sanctitatis decernet Tribunal apostolicum — aliis verbis, actores vel potius eorum nomine Postulator Causae intendit demonstrare, illum Servum Dei tali gravissum esse in vita et post mortem *fama generali* sanctitatis (relativa ut intendantur), ut iuste sperari liceat, cum exspectatione boni eventus, procedi posse ad ulteriora, scilicet ad periculum apostolicum.

(13) Ex.gr. Processus «diligentiarum», seu de colligendis scriptis Servorum Dei.

Tribunal ordinarium, collecta informatione, nullam emittit in hac re sententiam, sed materiam canonice collatam simpliciter supremo apostolico Tribunali transmittit. Hoc, subiecto Processu ordinario seu informativo, ad normam canonum, primum cuidam generali examini, si casus propitius est, ad sententiam pervenit, Causam propositam mereri, ut Summa Sedes ei manus admoveat eamque prosequatur: communiter hic actus iudicialis denominatur breviter «Introductio Causae» (intende: apud Tribunal apostolicum). Formula canonica interrogatoria, sicut in his Causis moris est, circa quam in S. Rituum Congregatione discutitur et deciditur, haec est: «An signanda sit commissio introductionis Causae, in casu et ad effectum de quo agitur». Sententia, si est affirmativa, proponitur Summo Pontifici, qui eam approbando ordinat decretum fieri Introductionis, sua propria manu, sed baptismatis, non pontificali nomine subsignandum.

Introductione facta, initium habet nova indagatio, amplior et profundior, directa in ipsam vitac sanctitatem (et in miracula) Servi Dei, summa Apostolica auctoritate instituta, tramite tamen eodem Tribunali ordinario, quod Processum informativum direxerat, cui per litteras *remissoriales* facultas «remittitur», auctoritate ipsius Sanctae Sedis procedendi. Hic Processus vertitur circa *virtutes in specie*, aliis verbis, intendit colligere materiam particularem, minutam, singularem, ad videndum et probandum, Servum Dei tuta veritate plenam adeptum esse vitae sanctitudinem, quae se explicat et manifestat in exercitio singularum virtutum in gradu heroico, modo et forma superius declaratis. Varietas ergo, multiplicitas et multitudo singularum depositionum circa singulas virtutes in specie, et, generatim, circa omnes vitae exterioris et interioris vicissitudines notam characteristicam huius Processus constituunt, qui hac in re praecedentem Processum informativum, simpliciter de fama sanctitatis, longe lateque superare debet. Omnium enim virtutum heroicum exercitium certe statui potest tantum ex infinita quasi multitudine singularum observationum, per longum tempus protractum. Omnium autem harum informationum, tam generalium, quam specialium, portatores et auctores sunt testes, qui haec omnia in Processibus rite deponunt. Ab illis ergo pendet successus Processuum in magna parte, ab illis facilitas probationum, securitas sententiae. De illis ergo — tandem — verba facienda.

In relatione ad res testificandas, testes distinguuntur in tres classes: 1º testes *de visu*, 2º testes *de auditu a videntibus*,

3º testes de *auditu auditus*. Primo intuitu intellegitur, hae classes, ordine quo enumerantur, scalam quandam efformare vel mensuram praestare, primo loco *vicinitatis* maioris vel minoris ad ipsum Servum Dei et eius vitam et opera, vel, ut idem per contrarium exprimatur, crescentis *distantiae* a realitate factorum testificandorum; secundo loco, scalam *aestimationis et valoris* depositionum testium, valoris videlicet interni, historici, critici, psychologici, propter augmentum vel diminutionem condicionum favorabilium relate ad facilitatem et possibilitatem veritatis edicendae.

1º. - *Testes de visu*. - Abstrahendo a rerum realitate («theoretice», uti aiunt), testis de visu optimus est; potest enim enunciare veritatem eventus ita ut eam percepit; dicit: «Ipse adfui, ipse vidi, audivi, observavi».

In rerum autem realitate depositiones testium *de visu* non simpliciter, absque examine et consideratione, acceptandae sunt, sed vario modo ponderandae. Iudices omnes, psychologi et historici hoc optime noscunt. Re vera, perpendenda sunt multa elementa, quae in depositionem testis ocularis influere possunt; pauca remoremur: testis ad personam, de qua deponit, qualitas necessitudinis (parens, amicus, adversarius, extraneus etc.); ipsius cogitandi, ratiocinandi, se exprimendi modus, facultas vel difficultas (homo visionibus imaginariis facile captus, homo serenus, prudens, circumspectus, sani iudicii etc.); institutio mentis et cordis (homo rudis, primitivus, ordinarie excultus, altioribus studiis et mansionibus efformatus); aetas et sexus (alio modo infans, alio iuvenis, alio adultus, alio senex homo videt, apprehendit, memoria retinet, et percepta mente elaborat etc.; iterum diverso modo homo mas vel femina); distantia temporis inde a facto usque ad depositionem transacti, una quacum crescit facilitas et suspectus erroris (involuntarii quoque nec minus realis) vel defectus memoriae, inevitabilis influxus naturalis cuiusdam «sublimationis» seu transfigurationis personarum, rerum, circumstantiarum, cum eliminatione, etiam inscia, elementorum secundariorum vel minus favorabilium, cum subsequente exaltatione herois et gestorum eius.

Hic vel leviter monendum est, hoc factum certae exaltationis herois cum variis consectariis facilime locum obtineri in Causis Servorum Dei, etiam in testibus *de visu*, praecipue quando, labentibus annis et decenniis, fama augetur sanctitatis, virtutum et rerum mirabilium ac miraculorum, quae eidem Servo Dei filius, abundius et copiosius attribuuntur. Et hoc valet potissimum, si testis *de visu* Servum Dei annis iam maturum vel morti vicinum.

quasi iam aureolatum, cognovit, dum ipse testis tunc iunior aetate fuerat.

2°. - *Testes de auditu a videntibus.* - Hi testes ordinarie ad generationem pertinent, quae post mortem Servi Dei in mundum intravit; deponent igitur fere hoc modo : «Ego audivi (semel, iterum, saepius, saepissime) a patre meo, qui ipse praesens erat, vidit, audivit».

Hi ergo testes sunt testes non directe facti, sed *traditionis* de facto. Omnino clarum est, valorem depositionis quam praestant, prorsus dependere a valore *rei traditae*, i.e. a qualitate primi testis (de visu), a quo traditionem receperunt. Si testis capitalis seu ocularis, qui proprium rei testimonium alii tradit homini, omni exceptione maior est, tunc de bonitate traditionis certi sumus; sed, tunc iterum agitur de modo *receptionis* ex parte testis *de auditu* a vidente. Hic cautiones omnes adhibendae sunt quas supra de *testibus de visu* protulimus. Si vero hae cautiones iam in teste capitali seu oculari fundamentum habent et si alter testis, de auditu a vidente, ex sua parte etiam similibus expositus est cautionibus, tunc in depositione huius testis auricularis proprii defectus defectibus primi testis *superponuntur* et eius depositio eget omnino cauta et critica interpretatione, in qua facienda ratio habenda est naturae et ingenii, uno verbo, totius qualitatis *tum ipsius testis auricularis, tum primi testis ocularis*.

Hac nostra expositione minime intendimus destruere valorem testium *de auditu a videntibus*; hic valor potest esse plenus et certus; attamen iudex de veritate depositionis se certiore reddere non omittat, ne traditione faciliter accepta, in minorem vel etiam maiorem incidat errorem: naturale est, lucis claritatem cum distan-
tia diminuere.

3.º - *Testes de auditu auditus.* - Sunt testes, ordinarie loquendo, tertiae vel ulterioris generationis post Servum Dei; deponunt ergo hoc fere modo : «Ego audivi a patre meo (toties...), quae ille (toties) audierat a patre suo, qui ipse rei narratae praesens fuit».

Nemo non videt, in tali catena traditionis cautiones adhibendas multiplicari, eoque magis, quanto plura sunt membra eiusdem catenae. Verum est, a iure recognitum esse «annulum traditionis», quo quasi membra traditionis unum alteri adeo iuncta supponuntur, ut traditio «annularis» integra et perfecta ad ultimum testem pervenerit. Hoc tamen valet in veritate realita-

tum humanarum vix semel vel alias, et *eget omnino indagatione* historico-critica in qualitates singulorum membrorum catenae, nec faciliter ut factum probatum, ex omni parte certum, accipi potest.

Quando, iam a multis annis, de Causa historica Servae Dei Rosae Venerini, fundatricis Magistrarum Piarum (* 1656 Viterbo, † 1728 Roma) occupatus fueram, pro nonnullis factis occurrebat mihi in Processibus (informativo et apostolico) qui annis 1916-21 seu ante institutionem Sectionis Historicae apud S. Congregacionem Rituum methodis traditionalibus constructi fuerunt, ille «annulus traditionis» seu testium catena, quam Magistrae Piae modernae, quae ducentos fere annos post obitum Servae Dei deponebant, exsistere affirmabant («audivi a Magistra aetate proiecta, quae hac ab alia Magistra senectute veneranda habuit, et sic porro...»). Facili suspicione inductus biographiam perlegi antiquam, a P.e Hieronymo Andreucci SI, Rosae Venerini concive, quatuor annos post eius mortem egregie confectam, quam eaedem Piae Magistrae continue ut fontem scientiae gestorum fundatricis adduxerunt et quam saepius in earum communitatibus legi solitam esse asseveraverunt. Ea omnia quae illae testes («de auditu auditus») affirmabant per continuatam traditionem accepisse, in nominata biographia P.is Andreucci descripta inveni, uno facto excepto, quod ex documentis, quae bonae Magistrae ignoravabant, plane fictum esse apparuit!

Cum hoc exemplo, quod multis similibus confirmari posset, digitum admovimus certae rerum condicioni, quae in testibus *de auditu auditus* saepissime, et non raro etiam in testibus *de auditu a videntibus* adesse invenitur: dependentiam intendo significare illorum testium a fontibus scriptis (typis impressis). Quanto enim augetur distantia temporis a morte alicuius Servi Dei, tanto crescit — ordinarie saltem — numerus scriptorum varii generis, opusculorum et biographiarum, quae quasi semper cum explicita intentione confectae sunt, ut piae fidelium curiositati et aedificationi satis fiat. Nec semper affirmari potest, auctores — optimis certe directos intentionibus — observasse limites strictae veritatis historicae obiectivae. «Glorificare humanum est», licet varia re notum proverbium (14). Vix enim evitari potest, si scripta

(14) Abstinemus ab exemplis adducendis, quorum numerus abundaret. — Saepius deploratum est, etiam biographias «officiales» Beatorum seu Sauctorum — illas scilicet, quae curâ Postulationum occasione Beatificationis aut Canonizationis eduntur — nonnumquam nimis indulgere intentioni aedificandi fideles; et re vera, paucae sunt illae biographiae, quae respondent aequa veritati historicae ac intentioni aedificationis piae. Licitum sit nobis, afferre biographiam S.i Clementis M. Hofbauer, a nostro R.P.e Ioanne Hofer olim compositam, quae tunc a viris in re maxime peritis laudibus exaltata est propter perfectam aequanimitatem auctoris, qua factum est, ut figura et opus Sancti, absque expli-

laudativa et glorificantia in manus testium pervenerint, qui ad deponendum in Processibus Beatificationis vocabuntur, eo usque in eorum mentes et memoriam influant, ut proprias memorias genuinas cum rebus lectis quodammodo confundant, eo magis quando memoriae personales non per cognitionem directam, sed per narrationem aliarum personarum acquisitae fuerunt.

Haec, quae modo de testibus secundi vel tertii gradus diximus, seu de diminutione naturali quam necessarie subit plenitudo probationis, maxima confirmatur auctoritate summi Legislatoris. — Prosperus Lambertini, iam digne nominatus, pro longa munerum suorum experientia in S. Rituum Congregatione, iterum atque iterum Causas pertractandas prae se constitutas vidi, tardius incoptas, testibus *de visu* ex parte vel penitus destitutas, ita ut de illa plenitudine et certitudine probationis, quae a rigore legis expetuntur, quodammodo dubitare debuisse. Ad apostolicum tandem fastigium evectus, Benedictus XIV numquam cessavit Causas Beatificationis et Canonizationis vivissimo studio amplecti. Sic factum est, ut, qui antea in Causis «antiquis» multum erat versatus, nunc de plena rerum scientia peculiarem legem institueret, qua iuridice circa illas Causas necessarias et oportunas cautiones praescripsit, sive propter possibles suspicione ob tardum initium sive propter facilem debilitatem et incertam fidem probationis ex testibus indirectis, quorum depositiones proinde «fama crescunt» vel deturpantur.

Ne nimis longi simus, excerptum ex decreto super heroicitate virtutum Servi Dei (nunc Sancti) Francisci Caracciolo transscribimus, in quo lex supra significata quodammodo anticipatur (1741, 23 IV); in hoc ergo decreto legitur:

Virtutes praedictas ita probari, ut tuto deveniri possit ad ulteriora, nimur ad discussionem miraculorum... Sed cum ex testibus *de auditio tantum*, multiformiter licet adminiculatis, fuerint probatae, ut, quod virtutum probationi defuit, miraculorum eas confirmantium probatione suppletur, ad Servi Dei Beatificationem non ante deveniendum esse censuit [Summus Pontifex Benedictus XIV], quam miracula omnino *quattuor* probentur ex testibus *de visu* atque approbentur (15).

Ipsum textum legis propriae Causarum «antiquarum» — ita enim merito appellari potest, — utpote longiorem, cum rationes

cita mente laudandi et aedificandi, per se ipse et laudat et aedificat. Eadem laudatio concessa est alteri magnae biographiae, quam P. Hofer S.o Ioanini Capistrano OFM de dioaverat.

(15) BENEDICTUS XIV, *De servorum Dei Beatificatione...*, ed. Prato, Vol. III. (1840) p. 27 - Lib. III, Cap. III, N° 25.

exponantur, quibus nisus Summus Pontifex illam posuerat, in *Appendice I* doc. I reponimus. Sufficit hic recordari, legem a Benedicto XIV statutam, in Codicem Iuris Canonici transiisse et adhuc valere (can. 2117), quodam tamen inducto moderamine. Benedictus XIV enim exigit quattuor miracula ad Beatificationem, si in Processu ordinario simulac in Processu apostolico deficiant testes *de visu*; Codex tamen accuratius distinguit: sufficiunt *duo* miracula, si in Processu ordinario et in Processu apostolico habentur *testes de visu*; vel saltem in Processu apostolico adhuc *testes ab auditu a videntibus*; *tria* miracula, si in Processu ordinario habentur testes *de visu*, at in Processo apostolico tantum testes *ab auditu auditus*; demum *quattuor* miracula, si in utroque Processo deficiunt testes *de visu*. Haec graduum probationis aestimatio hodie quoque observatur.

His de testibus in Processibus Beatificationis dictis, ad aliud capitulum transeamus, nempe ad explorandum, quomodo deposiciones a testibus eliciantur.

4. DE ARTICULIS ET DE INTERROGATORIIS

Quo modo testes in processibus Beatificationis deponant, magni momenti est Actoribus, et eorum nomine Postulatori Causae, qui — salva veritate — plenissima testimonia desiderant, quam Tribunali, quod imprimis in ipsam rerum veritatem inquirit.

Primae parti, Actoribus nempe et Postulatori, serviunt «Articuli», alterae vero «Interrogatoria». Articuli conficiuntur a Postulatore, Interrogatoria a Tribunali per Promotorem Fidei. Articuli, typis vulgati, testibus dantur ad legendum et memoriam propriam iuxta eos examinandam. Interrogatoria sub jurato secreto tenentur usque ad finem Processus, et conservantur ab una ad aliam proximam sessionem sub sigillis Tribunalis; restant ergo ignotae tum Postulatori, tum ceteris testibus nondum interrogatis — interrogati vero, ut innuimus, sacramento iuramenti obstricti manent.

1. - *Articuli*. - Finis Articulorum est praebendi testibus ad minicula memoriae. Postulator, iam antequam Causam tractandam adsumat, obligatione tenetur de ea quoquaversus severe et profunde indagare, informationes vastissimas circa Servum Dei, eius vitam, opera, virtutes, famam, mirabilia, gratias vel miracula colligere, habitasque accurate ponderare, ut se ipsum et Actores cum

bona conscientia certos et securos reddere possit, utrum Causam ipsam tentare debeant vel possint necne. His indagationibus conclusis, officium habet seligendi testes aptos, necessarios ac utiles, quorum depositionibus postea Causa maxima ex parte fulcitur. Idem Postulator, ex plenitudine cognitionis Causae, quam sibi acquisiverat, parare debet Articulos. Sunt autem Articuli series propositionum, quibus complectuntur vita, virtutes, miracula Servi Dei, quae omnia Postulator per testes, ante Tribunal inducendos, tamquam vera probare intendit. Opus compositionis Articulorum non est ita facile: requiritur enim homo magno animi aequilibrio praeditus, eximia scientia ac experientia theologica in genere, ascetica (et mystica), historica, psychologica, necnon iuridica in specie excellens, qui profundo studio et ingenio cognoscit tempora, in quibus Servus Dei vixit, cum multiplicibus adiunctis: religiosis, politicis, socialibus quae ea comitantur et quae figuram Servi Dei ac eius opera, praecipue vero eius in illo tempore peculiarem et providentialem vocationem illustrant.

In componendis his Articulis Postulator, forsitan minus expertus vel minus sollicitus, facile succumbit temptationi, aut numerum Articulorum nimis ac plane inutiliter augendi, aut ea rebus levibus implendi; hoc autem modo testes qui Articulos perlegunt, perturbantur et eorum memoria obscuratur.

Verus enim et genuinus finis Articulorum hic est, ut memoriae testium delicate et modeste subveniant, minime vero, ut illis deponenda suggerant vel eos inducant ad omnia quae continent, ante Tribunal recitandi. Multum certe dependet etiam ab institutione generali testium: homines bene exculti vel fidelitatis propriae memoriae consci et securi, in Articulis confirmationem quaerent eorum, quae iam propria scientia nosse se certo comperti sunt, homines vero simpliciores (vel etiam scrupulis obnoxii) non raro inducuntur, ut post lectos et relectos Articulos propriam scientiam genuinam cum illis conforment, immo sibi suggerant se omnia vel fere omnia, quae in Articulis proponuntur, in veritate iam in propria memoria retinuisse. Expertus et criticus iudex ex comparatione textus Articulorum cum certis depositionibus testium arguere potest, illas ex illis, magis vel minus, defluxisse.

2. - *Interrogatoria.* - Interrogatoria directe pertinent ad partem quaestionariam Processuum, seu ad inquisitionem officialem in rerum veritatem. Consistunt, uti nomen prodit, in serie interrogationum, quae a Promotore Fidei formulantur; multo minus

numerosi quam Articuli Postulatoris, sunt ordinarie (vel esse debent) brevia, sobria, et directa ad detegenda et declaranda argumenta principaliora. Particularem valorem ad efformandum iudicium generale super positione religiosa et civili singulorum testium habent prima interrogatoria, quibus inquiritur in testium aetatem, condiciones vitae, in relationes forsitan personales cum Servo Dei, in gradum et modum informationis circa illum et circa ea de quibus deponere volunt. Sunt haec prima interrogatoria quae permittunt iudicibus Tribunalis vel quovis alio critico indagatori pervenire ad necessarias et utiles conclusiones circa depositiones testium, seu circa earum vim probationis, circa aestimationem generalem et specialem singularum responsionum.

Notandum est adhuc, Interrogatoria in Processu ordinario seu informativo valorem habere potius universalem, tendere scilicet ad acquirendam informationem *summariam* circa obiecta inquisitionis (vitam et famam sanctitatis Servi Dei in genere); in Processu vero apostolico Interrogatoria adipiscuntur valorem *particulariem*, et quidem hac ratione: auctor Interrogatoriorum «apostolicorum» est Promotor Fidei Generalis, ille videlicet altissimus S. Rituum Congregationis Praelatus officialis, qui pro suo munere in examine Processus informativi et in Causae Introductione plurimam habuit partem, ita ut eiusdem Causae elementa debiliora vel deficientia probe noverit. Ille ergo Interrogatoriis, quae «ex officio» ad Tribunal dioecesanum, nunc apostolica coroboratum auctoritate, transmittit, particularem imprimet vim et acumen ut sagacius et profundius inquirat in illas praecipue quaestiones, quae forsitan in prima inquisitione informativa et generali remanserunt vel inexploratae vel imperfecte explicatae.

Ultimo demum hoc unum adhuc explicite mihi videtur esse attingendum, testes in Processu ordinario sicut in apostolico, responsionibus propriis ad Interrogatoria absolutis, etiam necessario interrogari circa Articulos, ad statuendum, ne habeant aliquid corrigendum, addendum, demendum; ordinarie respondent, se nihil amplius scire.

Interrogatoria etenim, pro larga sua natura et sobrietate, invitant et perducunt testes ad loquendum magna cum libertate, naturali motu, absque ullo timore; iudices insuper circumspecti et attenti non omittent, utilitate vel necessitate introspecta, in subobscura vel incerta amplius investigare.

5. DE CAUSIS « ANTIQUIS »

Usque ad an. 1930, quando scilicet apud S. Rituum Congregationem *Sectio* instituta est *Historica* (de qua infra n. 6), terminus technicus proprius ad significandam Causam Beatificationis, in qua pondus probationis magna vel maxima parte positum erat in depositionibus testium *de auditu a videntibus* vel multo magis *de auditu auditus*, erat « Causa antiqua ». In Causis huiusmodi, ut patet, vis demonstrationis et probationis diminuebatur ratione distantiae temporis testium a tempore ipsius Servi Dei, nec virtus iuramenti qua depositiones testium roborantur, nec copia testimoniorum sufficiebant ad defectus et difficultates harum Causarum satis effugandas. Ordinarie Causae huius generis lenitus recentioribus procedebant vel etiam ultro haerere solebant. In his Causis, ex conceptu iuridico plus aequo restricto, documenta historica vim tantum « adminiculativam », sed non probationis directae, habebant. In hoc statu rerum non defuerunt Causae, quae penitus deserebantur. Peculiaris earundem Causarum difficultas — obtainendi scil. securitatem et certitudinem probationum ex unica parte testium, neglecta vel ad pauxillum reducta parte documentaria — magis magisque percepta est, nec tamen, ordine canonico vigente stricte observato, facile et obvium dabatur remedium.

Accessit saepius aliud elementum, quod dubia movebat nec incertitudinem tollebat: recursus sat frequens et quasi necessarius testium ad documenta historica, praecipue vero ad antiquas Servi Dei biographias. Ponam exemplum :

Exemplar elegans Causa « antiquae » habuimus in illa, de qua supra mentionem fecimus, Servae Dei (nunc Beatae) Rosae Venerini. Illa mortua est an. 1728; Processus Beatificationis constructi sunt centum et nonaginta circiter annos post obitum; ultimae sociae vitae et operum eius inter annos 1770 et 1790 e vita sublatae sunt. Testes itaque moderni notitias tantummodo indirectas de Serva Dei proferre potuerunt, sicut de facto successit; affirmabant enim continue, eas desumpsisse aut ex antiqua biographia P. is Andreucci (Roma 1732), aut cognovisse ex asserto « annulo » traditionis. De consistentia huius « annuli » seu catenae supra iam pronuntiavimus, eam in casu plane nullam fuisse; ideo pondus totius probationis recidebat in biographum antiquum Andreucci. Si enim, ut in casu, testes practice omnes continue declarabant: « Hoc scio ex lectione P. is Andreucci; hoc legi in biographia Servae Dei P. is Andreucci; hoc audivi in lec-

tione fieri solita in nostra communitate P. is Andreucci », et sic porro, totum reducitur ad hanc quaestionem fundamentalem : qualis est valor probationis istius biographiae P. is Andreucci, tam constanter adductae ut fundamentum omnium depositionum testium ? Responsonem securam praestare non potuit nisi scientia historica, perita in sana cibratione critica fontium et documentorum.

Injustum tamen esset de quibusdam consiliis tacere, paratis ad sublevandas difficultates quae procedere solebant ex defectu institutionis peculiaris apud Sacram Rituum Congregationem ad quaestiones historicoo-criticas rite ac scienter resolvendas.

Leo XIII, de historicis studiis iam optime meritus (16), sub die 28 XI 1902 apud Sacram Rituum Congregationem *Commissionem « historicoo-liturgicam »* constituit, praeside celebri Aloisio Duchesne; ceteri primi socii fuerunt Iosephus Wilpert, Franciscus Ehrle, Iosephus Roberti, Humbertus Benigni, Ioannes Mercati (17). Haec vero Commissio posita fuit non respectu Causarum « antiquarum », sed potius pro solutione quaestionum ad hagiographiam spectantium, quae proprius ad Martyrologium et ad lectiones historicas Breviarii vel communiter ad emendationem librorum liturgicorum pertinent.

Ipsis Causis « antiquis » S. Pius X in adiutorium venit Decreto Sacrae Rituum Congregationis diei 26 VIII 1913 (18). Maior numerus dispositionum huius Decreti directe ad has Causas, tractatu difficiles, referuntur. Hae Causae recognoscuntur ex eo quod « partim historicis monumentis nituntur ». Propterea ordinatur, ut in Processu informativo « compulsentur omnia et singula historica documenta sive manuscripta sive typis edita, quae quocumque modo Causam respiciant quae agitur ». Sed et Sacrae Rituum Congregationi peculiare imponitur onus; eius enim « erit exquirere ... documenta » apud Curias Ordinum vel Societatum

(16) Sufficiat allegare pp. 393-408 operis Josef SCHMIDLIN, *Papstgeschichte der neuesten Zeit* II, München, Kösler-Pustet, 1934, ubi copiose de hac re agitur.

(17) ASS 35 (1902-1903) 373. - Louis-Marie-Olivier Duchesne, 1843-1922; breviter ac digne de eo P.A. FRUTAZ in *Encyclopedie Catholica* IV [1950] 1960-1965. - Josef Wilpert, 1857-1944; vide Enrico JOSI, in *Enc. Catt.* XII [1954] 1691-1692. - Franc. Ehrle, 1845-1934; SI 1861, Praefectus Bibliothecae Ap. Vaticanae 1895-1914, Card. 1922; vide Olivario OLIGER in *Enc. Catt.* V [1950] 185-187. - Giuseppe Maria Roberti 1869-1936, Ord. Minorum; vide Genaro MORETTI in *Enc. Catt.* X [1953] 1036. - Umberto Benigni, 1862-1934; vide in *Enc. Catt.* II [1949] 1347. (Iudicia de actuositate Mons. Benigni tempore « Modernismi » non concordant; de suis meritis in historia sociali Ecclesiae nemo dubitat).

Commissio haec, alius postea adducta sociis, demum variis ex causis, quae hic memorari non est necessarium, paulatim labi coepit.

(18) AAS 5 (1913) 436-438; *Codicis Iuris Canonici Fontes* VIII (Città del Vaticano 1938) Curia Romana N° 6394.

religiosorum vel in tabulariis SS. Congregationum Romanarum, « et ubicumque iure praesumitur, ea posse requiri ». Interponitur ergo auctoritas apostolica ipsius Sacrae Congregationis, quomelius et securius, apud loca quoque et institutiones difficilioris aditus, plenitudo indagationis in tutum collocaretur. Documenta deinde sic collecta « subcientur iudicio peritorum », et « potiora ... ex integro typis edantur », addito apparatu adnotationum criticarum. Hae dispositiones extenduntur ad omnes Causas « antiquas »; « In singulis vero Causis Beatificationis, quarum iudicium in praesens apud Sacram Rituum Congregationem quocumque modo pendeat, Sacra ipsa Congregatio non procedat ad ulteriora, nisi exhibitis, ab interesse habentibus, et exquisitis ex officio documentis iisque omnibus examinatis, quo modo supra dictum est ».

Decretum hoc S. Pii X, per se ipsum summi momenti et maximae utilitatis pro pertractione Causarum « antiquarum », hoc tamen laborabat defectu, quod nullum tunc simul institutum fuerit instrumentum stabile seu corpus publici iuris Sacrae Congregationi connexum, cuius ope ordinate et continue ea omnia praestarentur quae Decreto statuta sunt. Ita evenit, ut Causis « antiquis » ex statuto optimo Piano reapse parum provenerit adiutorii.

Sed quod intendebat Pius X, Pius XI perfecit.

6. DE SECTIONE HISTORICA S. RITUUM CONGREGATIONIS ET DE CAUSIS « HISTORICIS »

Achilleus Ratti, fama « internationali » celebris ut rerum historicarum egregius fautor et magister, cum imperscrutabili Dei providentia ad summum Pontificatus apicem evectus esset, mox oportunitatem nactus est cognoscendi peculiares difficultates quibus Causae Beatificationis « antiquae » obnoxiae erant et prompte de auxilio efficaci cogitare coepit.

Pius XI ergo, uti erat in omni ramo scientiae historicae versatissimus, facile modum invenit ad difficultates nominatas resolvendas. Initio consilio cum aliis doctis et peritis viris eadem historica institutione commendatis (nomino ex. gr. Ioannem Petrum Kirsch (19) et Henricum Quentin (20), initio an. 1930 ad

(19) Johann Petri-Kettenfeier Kirsch, 1861-1941; vide P.A. FRUTAZ in *Encyclopedie Catholica* VII [1951] 705-709. Mons. Kirsch, ceterum optime notus pro sua universalis doctrina in rebus historicis et archaeologicis christianis, primus fuit Director Institutū Pontificii Archaeologiae christiana, quod Pius XI in Urbe fundavit. Gratissimum exhibent Magistro animum qui, illo duce, an. 1924-1925, primum cursum archaeologicum frequenterunt.

(20) Henri Quentin OSB, 1872-1935; vide Pietro SALMON in *Enc. Catt.* X [1953] 391-392. —

decisionem venit. Pontificio documento eius generis, quod « Motu proprio » vocatur, sub die 6 febr. eiusdem anni apud S. Congregationem Rituum specialem constituit Sectionem, tertiam utique, quae eadem apostolica auctoritate sicut duae praexistentes, quæstiones historicas pertractaret, methodo exigentijs et progressibus scientiarum historicarum omnino pari et congruenti. Novae huic Sectioni, quae pro suo munere « Historica » denominabatur, triplex officium demandatum fuit: 1° ut recognoscat Causas Beatificationis « historicas », 2° ut resolvat, in Causis quoque *non* historicis, si quae dirumperent difficultates quae historica egeant disquisitione, 3° ut interveniat in emendatione librorum liturgicorum.

In nostra commentatione primum tantum officium Sectionis Historicae explicandum est: pertractare Causas historicas. Terminus *technicus* Causae « antiquæ », usque adhuc communis, relictus est; ipsum Motu proprio notionem præbet novam, certiorem, adversus priorem aliquantum diversam. Transscribimus textum (21):

Per cause « storiche » dei Servi di Dio intendiamo quelle per le quali (trattisi della vita, delle virtù, del martirio o di antico culto) non si possono raccogliere deposizioni di testimoni contemporanei ai fatti in causa, né si hanno documenti certi di tali deposizioni debitamente raccolte in tempo opportuno.

Redeamus ad nostrum exemplum, ad Causam scilicet Rosae Venerini. Usque ad an. 1930 erat Causa « antiqua »; a momento quo Sectio Historica instituta est, erat Causa « historica ». Testes enim, qui in Processibus huius Causae deposuerunt, uti evidens est, non erant coaequales factis de quibus testimonium ferre debuissent; certum quoque est, depositiones testium coaevorum neque « debito modo », i.e. per Processum canonicum, tunc temporis esse collectas, neque « opportuno tempore », quando scilicet in promptu fuissent adhuc testes *de visu*, qui soli sunt factis deponendis coaequales. - Brevi igitur Causae historicae ita definiri possunt, quod sint *Causae absque testibus « de visu »*. Hoc sane humano atque rationabili modo interpretandum est. Agitur, ex.gr. apud Sectionem Historicam (deinceps S.H.) Causa religiosi viri magni nominis († 1853), pro cuius Processu informativo duo adhuc

In parandis editionibus librorum « Vulgatae » succedit Em.o Card. Gasquet; in hagiographia eximius magister, primus fuit Relator Gen.lis S.H. (1930-1935); in laudato Instituto Archaeol. christ. ab eo hausimus sana principia et sanam criticam hagiographicam, arten sat difficilem, nec raro improbam.

(21) Textum completum vide in *App. I*, doc. IV.

testes *de visu* inveniri potuerunt, testes proculdubio ultro annosi, qui Servum Dei solummodo per ultimos suos dies cognoverunt; talibus duobus testibus, quamvis *de visu*, construi non potest Processus, cuius ope facta totius vitae Servi Dei debito modo illustrarentur; perditum est in illa Causa opportunum tempus, et ideo facta est « historica ».

Motu proprio Pii XI certo sensu est « retro-activum »; suo ambitu enim comprehenduntur non tantum Causae, quae *post* eius publicationem initium habent, sed etiam Causae omnes eo momento quocumque modo *in cursu*, immo post Introductionem Causae apud S. Congregationem Rituum, sed ante initiam Causae discussionem, pro qua peragenda subtractiones historicae necessariae complendae sunt (22). Sic, inter alias multas, etiam Causa Rosae Venerini ad S.H. portanda erat, quamvis, Introductione facta, etiam Processus apostolici iam absoluti essent, quin tamen ad virtutum discussionem gressus facti fuissent.

7. QUOMODO CAUSAE HISTORICAE PERTRACTANDAE SUNT

Tria a S.H. ordinarie in Causis historicis praestanda sunt : 1º investigatio fontium et documentorum, 2º eorum examen, selectio, et praeparatio critica ad usum Causae, 3º praesentatio materiae collectae iuxta usum et proxim Sacrae Congregationis et conformis arti scientiae historicae. Singula exponemus :

1.º - In investigatione fontium et documentorum, uti patet, probatae regulae et normae generales et speciales cuiusvis indagationis historicae diligenter adhibendae sunt.

2.º . - Etiam examen materiae undequaque collectae sequitur leges sanae criticae, et postulat — superflue dictū — ex parte studiosi summam attentionem atque peculiarem praeparationem, ordinatam ad consequendum finem specificum Causae, qui est iudicium super virtutes Servi Dei. Accidit aliquando, ut notiae et documenta historica, magni valoris in studio historico ordinario, pro diiudicanda Causa Beatificationis rationem secundariam habeant (23). Utcumque sit, praeparatio critica materiae

(22) Hoc eruitur etiam, praeter intentionem et propositum legislatoris qui novam creavit institutionem, ex comparatione cum Decreto S. Pii X, de quo supra egimus (vide textum in *App. I, doc. II*).

(23) Ut iterum in exemplum provocemus Causam B.ae Rosae Venerini, plures allegatam, in ea paranda invenimus plura documenta penitus ignorata et inedita circa eius familiam et primas scholas in Viterbo et in Roma (« status animarum ») et circa multas scholas a Beata in Statibus Pontificiis institutas: haec documenta sunt maximi valoris pro biographia eiusdem Beatae, pro Causa vero, scilicet ad virtutes probandas, sunt documenta secundaria; offerunt possibilitatem zelum Servae Dei arguendi.

fit hoc modo: documenta, vel notitiae ex fontibus deductae, quae pro iudicio Causae necessariae esse reputantur, disponuntur ordine chronologico, ita ut perscrutanti seriem documentorum, tota vitae Servi Dei ratio et figura certa et rei veritati conformis appareat. « Documentum » iuxta usum S.H. esse potest textus singularis, ex.gr. testimonium baptismatis, quaedam epistula, contractus vel aliud « documentum » solum; vel etiam, saepius, series singulorum textuum quae de eodem argumento agunt et ad certum quoddam factum vel difficultatem, in vita Servi Dei occurrentem plenius illustrandum, in unum colliguntur, ex.gr. series epistularum aut relationum de uno argumento, series « documentorum » sensu stricto, relate ad unam quaestionem peculiarem, et sic porro. Cuivis documento (sensu mox explicato sumpto) praemittitur « *introductio critica* », in qua omnia pro intellectu documenti necessaria et utilia methodo critica enucleantur. Hae introductiones in certis documentis summae vel decisivae auctoritatis, formam induere possunt quasi « *dissertationis* » historico-criticae, decem, viginti, triginta et amplius paginarum. Aliquando, si necessitas peculiaris id suadeat, veri tractatus plurimorum capitulorum aut paragraphorum conscripti sunt, ut quaestiones potioris momenti — uti dici solet — exhaustantur.

3.º - Praesentatio tandem totius materiae examinatae, selectae ac praeparatae fit ope artis typographicae in forma librorum, quae « *Positiones* » vocantur (24). Hae *Positiones* sunt, iuxta casum, « *Super Introductione Causae et super virtutibus* », si agatur de Causa historica adhuc introducenda, vel « *Super virtutibus* », si agatur de Causa iam alias introducta; potest habere etiam formam « *Summarii additionalis* », si agatur de Causa per se non historica, sed quae eget, pro una aliave quaestione peculiari, indagatione et studio particulari historico; vel etiam formam « *Dissertationis* », si agatur de qualicunque dissertatione historico-critica circa argumentum particulare.

In Positionibus Causarum historicarum corpori documentorum, quod totius operis intima ac maxima res manet, praemittitur *Summarium ex officio compilatum*, in quo, ut ipsum vocabulum innuit, tota materia historico-critica methodo comparata,

(24) Ex probata traditione S.H. editiones suas excudit ope « *Typographiae polyglottae Vaticanae* », non solum, quia hoc institutum peculiari modo aptum est ad typiscribendum quasi omnem linguam orbis, sed potius quia saepius occurrent Positiones edendae, quae pro sua natura vel pro quadam opportunitate teneri debent « *sub secreto* »; *Typographia vero Vaticana*; sicut est propria Sanctae Sedis suisque officiis imprimis inservit, habet Sectionem particularem « *secretam* », in qua compositiones typographicae delicatae ac secretae ab opificibus sacramento iuramenti ligatis perficiuntur.

« summarie », i.e. brevibus ac sobriis propositionibus rapide, at praecise, exponitur hoc modo: in latere sinistro paginarum in columna magis contracta, notae documentorum, quorum fide res in textu Summarii expositae comprobantur (25). Huic Summario anteponitur *Informatio*, qua natura et historia Causae describitur, opera, quam S.H. absolverat, elucidatur, et proprietates ac difficultates peculiares in studio Causae detectae breviter indicantur.

In fine vero operis adiunguntur *Animadversiones*, i.e. series quaestionum, prout casus exquirit, quorum responsiones a Consultoribus historicis desiderantur, et quae in hoc tendunt, ut de toto opere historico-critico iudicium virorum in arte ac scientia historica expertorum provocetur (26). Facili intuitu comprehendit, opera historica-critica huius generis, quae ordinarie grandis molis sunt, non ita brevi temporis spatio absolvi et typis evulgari posse. Hinc est, quod necessarie in Causis historicis parandis non parum temporis teratur.

Ex altera parte, in Causis historicis non requiritur Processus apostolicus, quia ipsum studium criticum S.H. locum illius Processus obtinet eumque plane superfluum reddit; ideo tempus, quod perditum esse apparet, propter omissionem Processus apostolici et eius disceptionem recuperatur.

Positio a S.H. ex officio parata, collegio Consultorum historicorum in *Congressu plenario* diudicanda et discutienda proponitur. In eo, iuxta regulas pro Congressu historico statutas, post « Vota » scripta a singulis Consultoribus publice perlecta, fit discussio et disquisitio *Animadversionum* et *Votorum*, vel difficultatum aut objectionum quae forsitan cibratione critica inventae sunt (27). Demum de Congressu historico peracto et de eius actibus fit *Relatio*, typis vulganda, ad Cardinalem Praefectum S. Rituum Congregationis. Cum hac Relatione clauditur ordinarie pars propria S.H. in Causis historicis. Cetera omnia fiunt

(25) Pro conscribendo *Summario* unice adhibetur lingua latina; *Informatio* et *introductiones* in documenta scribuntur in lingua italica, quae, ut lingua « viva », facilius adhiberi potest in explicationibus et disquisitionibus criticis; ita Pius XI inde ab initio S.H. cum peritis suis historicae artis cultoribus sapienter disposuit. Documenta vero ordinarie ea lingua exhibentur qua scripta sunt, si tamen lingua sat per orbem vulgata sit; hoc certo valet pro lingua latina, italica, francogallica et hispanica; haec ultima lingua in recenti Concordato inter Sanctam Sedem et Hispaniam (27 VIII 1953) hoc privilegio pro Causis Sanctorum ornata est (AAS 45 [1953] 632: Art. XIII n. 2).

(26) Vide infra nota 29.

(27) Inde ab initio ad usum internum proposita fuit et Pio XI approbata ratio agendi in Congressibus plenariis S.H.

et prosequuntur modo et forma, in Causis Beatificationum post Processus apostolicos absolutos, iure praescripta.

Restat, ut pauca verba *de ordine interno S.H.* dicamus, seu de personis, quibus componitur et opera sua perficit (28). Praeest toti S.H. *Relator Generalis*, qui omnia dirigit et de omnibus responsabilis est. Ipse subscriptit acta maiora, et in Positionibus historicis, Informationem, Animadversiones et Relationem finalem. Ipse est Praelatus officialis Congregationis et partem habet in « Congressu » et in omnibus « Congregationibus ». Coadiuvaatur a *Vice-Relatore Generali*, qui est primus « a studiis » et considerat in Congressu historico Consultorum secundo loco. Habentur porro alii adiutores « a studiis » (*Aiutanti di studio*), quorum unus curam gerit archivi « historici » Congregationis, S.H. concretiti; hi ad corpus officialium Congregationis pertinent et muneri suo praesunt ex mandato fixo, sicut etiam stipendia regularia percipiunt. Adsunt etiam iam nominati « Consultores », in casu nostro periti rerum historicarum (« specialistae » in hagiographia, archaeologia christiana, patrologia, liturgia, historia generali et speciali, etc.); possunt esse de clero vel de statu laicali; plurimum refert eos esse vere peritos, aequo iudicio dotatos, et munieris cui destinantur fideles executores. Inter eorum numerum ex statuto sunt Praefecti Archivi et Bibliothecae Vaticanae et unus alterve ex sociis Bollandianis (29).

(28) Status personalis S.H. cum singulorum officialium nominibus describitur in opere *Annuario pontificio* (Città del Vaticano), singulis annis edito; quaeratur sub voce « Curia Romana » et pressius sub vocabulo « S. Congregazione dei Riti, III Sezione, per le Cause storiche dei Servi di Dio e l'emendazione dei libri liturgici » (In editione an. 1959 p. 108-109). - Dum haec typis componuntur, in S.H. novus invaluit personarum ordo; die enim 21 XI 1959 nominationes pontificiae innoverunt, quibus Relator gen.lis R.mus P. Ferd. Antonelli OFM, in munere ab an. 1935 (1930-1935 fuit Vice-Relator gen.lis) promotus est ad officium Promotoris Fidei gen.lis; cui successit ut Relator gen.lis Ill.mus et R.mus Mons. Petrus Amatus Frutaz (ab an. 1936 « aiutante di studio » in S.H.); qui haec scribit, ab an. 1936 Vice-Relator gen.lis, nunc Relator adjunctus nominatus est.

(29) Inter Consultores « historicos » nomina scientiæ illustria inveniuntur. - Ut pauca nomina demus: Em.us Card. Eugenius TISSERANT, nunc S. Romanae Ecclesiae Bibliothecarius et Archivarius, cum adhuc esset Vice-Praefectus Bibliothecæ Ap. Vaticanae, erat Consultor S.H., sicut etiam Ioannes MERCATI, tunc Praefectus eiusdem Bibliothecæ, postea (1936) Cardinalis et Bibliothecarius et Archivista S.R.E. († 1957); sic etiam Angelus MERCATI, illustris Archivi Vaticani Praefectus († 1955). His successerunt qui nunc Archivum et Bibliothecam regunt: Martinus GIUSTI et Anselmus M. ALBAREDA OSB. - De sociis Bollandianis Consultores S.H. fuerunt Hippolytus DELEHAYE († 1941) et Iosephus PEETERS († 1950), clarissimi inter doctos sui generis; nunc eis successit apud S.H. Baldovinus DE GAIFFIER. - Alii historiae eximii cultores, qui Consultores « historici » fuerunt vel sunt: Frà Pio Franchi DE' CAVALIERI, inter hagiographos aetatis antiquae excellentissimus, Pius PASCHINI, aevi quod' a vocabulo « renascor » nomen trahit, peculiaris cognitor, Petrus TACCHI-VENTURI SI († 1956), historiae Societatis Iesu notissimus excultor, famosus inter Pium XI et Benedictum Mussolini conciliator, Petrus LETURIA SI († 1955), historiae ecclesiasticae in Pontifica Universitate Gregoriana laudatissimus professor et eximius scriptor. -

Ultimo rem momenti practici indicamus. - Causa potest esse historica *materialiter* aut *formaliter*. Materialiter Causa historica ea est, in qua elementa concurrunt, quibus proprietas «historicitatis» constituitur, ut superius exposuimus. Attamen, ut talis Causa fiat Causa *formaliter historica*, i.e. ut reapse in S.H. tractetur, omnino necessarium est, ut «ex officio» Relatori Generali pro studio et pertractatione in S.H. praesentetur et ab eo in catalogo Causarum sub proprio numero currenti inscribatur. Haec Causarum praesentatio spectat ad Causae Postulatorem, qui etiam toto tempore studii in S.H. Causam suam quovis utili modo adiuvare pergit, prout ab eo ex officio quaesitum fuerit.

His de S.H. in genere dictis, unum adiungere iuvat: etiam S.H. sorti communi omnium institutionum novarum subiecta est; primis annis primisque Causis absolutis, variae collectae sunt experientiae, et nonnulli defectus in constructione Causarum historicarum et in processibus informativis ad S.H. delatis detecti sunt, quorum principalis saepissime deficiencia erat indagationis historico-criticae, ita ut officiales S.H. saepe obligati essent ad has lacunas explendas continuis negotiis substare, quae per se ad Actores et Postulatores pertinent, prout iam S. Pius X districte statuerat, ut supra innuimus.

Fortioribus itaque remediis agere necesse erat. - Sic initio an. 1939, non ita longe ab inopinato decessu Summi Pontificis Pii XI, S.H. fundatoris, novum exiit Decretum seu potius *Instructio: Normae servandae in construendis Processibus ordinariis super Causis historicis*, die 4 I 1939. In quinque brevibus paragraphis res absoluta est (vide *Append. I*, doc. V). Hic sufficit notabiliora indicare (30). Priusquam Processus instituatur, loci Ordinarius, qui deinde in Processu pro Tribunalis sedebit, Commissionem debet constituere trium sociorum, qui peritissimi sint oportet in re historica, critica, hermeneutica; hi tres periti, iuramenti vinculo obstricti, communi studio omnes illas peragere tenentur indagationes necessarias et oportunas, ut materia historica cuius-

Ut etiam viros laicos nominemus: Georgius GOVAN († 1939), praeclarus Academiae Franco-galliae socius; Angelus SILVAGNI († 1955), antiquitatum christianarum, maxime epigraphiae, eximius studiosus; Paulus BREZZI, in Universitate publica Romana et Neapolitana professor, rarus saeculorum VII-XI cognitor et operum laudatorum auctor. - Ordinarie numerantur 14-16 Consultores Romae habitantes, qui regulariter Congressibus plenariis S.H. interesse possunt. Summa totalis Consultorum ordinarie vertitur circa numerum viginti.

(30) Ad has Normas RP noster Ioannes JAROS, tunc in Pontificio Athenaeo Lateranensi Iuris Canonici Professor, commentarium scripsit, quod in ephemeride *Apollinaris* 12 (1939) 451-459 (etiam a parte) prodiit.

vis generis ad Causam pertinens, tota, et debito modo colligatur. Haec eadem materia (quam Pius X iamiam iusserat diligentissime colligere), per dictos peritos, in Processu ordinario ut testes «ex officio» inducendos, praesentari, historice-critice illustrari, et in Processum inseri debet. Hoc agendi modo in tuto collocari deberet (si omnia ad dictas normas reapse procedunt), plenitudo omnigenorum documentorum ad Causam historicam pertinentium; ipse Processus informativus, Romam deferendus, continere deberet summam completam et ex omni parte illustratam totius materiae historicae exsistentis, ita ut S.H., post rapidum facileque examen, mox ad studium et preparationem «Positionis» historicae transire possit. Huic methodo, si ab Actoribus, Postulatoribus, peritis, Tribunali debite et studiose obtemperatur, facilis et securus Causae apud S.H. decursus prospiciendus est.

8. DE SECTIONE HISTORICA NOTITIAE VARIAE

Quaedam de S.H. in genere addere iuvabit. - Si quis ex.gr. interroget, quae sint Causae a S.H. inde ab an. 1930 usque in hunc diem ad finem perductae, vel — magis generaliter — quae toto hoc tempore fere triginta annorum egerit et perfecerit, facile est respondendum: Catalogus Causarum quae formaliter apud S.H. praesentatae et acceptae sunt, nunc (autumno an. 1959) ad numerum 177 pervenit. Agitur de Causis «historicis» sensu stricto simulac de multis aliis Causis, in quarum pertractione difficultates peculiares ad lucem venerunt, quae absque studio historico-critico fontium et documentorum resolvi nequeunt.

Tractantur insuper in S.H. ea omnia quae in S. Rituum Congregatione quocumque modo ad historiam pertinent, ut sunt ex.gr. revisiones Calendariorum et Propriorum dioecesium, ordinum aut congregationum, lectiones «historicae» Breviariorum, quaestiones circa authenticitatem reliquiarum, indagationes historico-criticae peculiares varii generis; numerus harum «Practicarum minorum» (*Prattiche minori*) notam 744 attigit. Notetur quoque, resolutionem quaestionum peculiarium saepe maiorem expostulare vim indagationis et temporis, quam ipsae Causae Beatificationis; agitur enim de fontibus et documentis reconditis, parum vel paucis «specialistis» notis, et, in genere, de notitiis minusculis, quarum collectio et examen non absque serio et diuturno labore perficitur.

Denique, inde ab an. 1948, S.H. pro officio ab institutione suscepto, vehementer occupatur in emendatione generali Liturgiae romanae; et nec pauca nec levia — ut omnes noscunt — iam in

sum Ecclesiae universalis inducta sunt. Itaque publicationes hucusque a S.H. editae ad numerum 100 pervenerunt, inter quas varia volumina attingunt etiam 1000 paginas.

Sed redeamus ad Causas maiores. - Subiungimus hic tabulam Causarum quae a S.H. ad finem perductae sunt, scilicet earum tantum quae ad Beatificationem aut Canonizationem pervenerunt, relictis ceteris quae, ope studii et pertractationis historicae ad Introductionem aut declarationem heroicitatis virtutum vel ad approbationem cultus pervenerunt; harum enim Causarum descrip-
tio nimis longa esset. Sequimur ordinem chronologicum. - Aste-
risco notantur Causae «historicae» sensu stricto; ceterae Causae, absque asterisco, S.H. subiectae sunt propter difficultates pecu-
liares; inter has inveniuntur quandoque Causae sat antiquae, quae tamen non sunt «historicae», cum in his Processus ordinarii tempore debito, seu cum testibus *de visu* aut *de auditu a viden-
tibus* constructae fuerint; saepe tamen in his Causis defectus documentorum suppleri debet nova indagatione in fontes historicos et nova praesentatione documentorum. Has Causas duobus aste-
riscis notavimus.

1931 16 XII: ALBERTUS MAGNUS: Canonizatio aequipollens (Pius XI).

1933 30 IV: *Maria a S. Euphrasia PELLETIER* († 24 IV 1868): Beatificatio (Pius XI); canonizata est a Pio XII 3 V 1940.

1934 28 II: *Rochus GONZÁLEZ* * et 8 socii Martyres († 15 XI 1628): Beatificatio (Pius XI).

1934 10 V: *Petrus Renatus ROGUE* * Mart. († 3 III 1796): Beatificatio (Pius XI).

1935 19 V: *Ioannes FISHER* († 22 VI 1535) et *Thomas MORE* († 6 VII 1535): Canonizatio (Pius XI).

1939 25 VI: *Iustinus DE JACOBIS* († 31 VII 1860): Beatificatio (Pius XI).

1940 26 V: *Maria Crucifixa* (Paula) DI ROSA († 15 XII 1856): Beatificatio (Pius XI); canonizata a Pio XII 12/13 VI 1954.

1943 19 XI: *MARGARITA ab Hungaria* * († 18 I 1270): Canonizatio aequipollens (Pius XII).

1946 16 I: *ANTONIUS de Padua* († 13 VI 1231): extensio cultus Doctoris ad universalem Ecclesiam (Pius XII).

1946 20 VII: *Ludovicus Maria GRIGNION DE MONTFORT* († 28 IV 1716): Canonizatio (Pius XII), post indagationem circa Congregationes religiosas ab ipso fundatas.

1946 24 XI: *Gregorius GRASSI* et 28 socii Martyres in China († 1900): Beatificatio (Pius XII), post indagationem circa causas martyrii.

- 1947 4 V: *Alexia LE CLERC, Teresia a Iesu* († 9 I 1622): Beatificatio (Pius XII).
- 1947 9 XI: *Ioanna DELANUE* († 17 VIII 1737): Beatificatio (Pius XII).
- 1950 5 III: *Dominicus SAVIO* († 9 III 1857): Beatificatio (Pius XII); canonizatus 9 III 1957.
- 1950 28 V: *Ioanna de VALOIS* ** († 4 II 1505): Canonizatio (Pius XII).
- 1950 15 X: *Anna Maria JAVOUHEY* († 15 VII 1851): Beatificatio (Pius XII).
- 1951 20 V: *Iulianus MAUNOIR* ** († 28 I 1683): Beatificatio (Pius XII).
- 1951 3 VI: PIUS X, *Iosephus SARTO* († 20 VIII 1914): Beatificatio (Pius XII), post indagationem in quaestionem de « Modernismo »; canonizatus 29/30 V 1954 (Pius XII).
- 1952 4 V: *Rosa VENERINI* * († 7 V 1728): Beatificatio (Pius XII).
- 1954 21 XI: *Ioannes Martinus Mové* ** († 4 V 1793): Beatificatio (Pius XII).
- 1955 19 VI: *Ioannes Bapt. TURPIN DU CORMIER* * et socii Martyres (Laval/Le Mans, † 1794 variis diebus): Beatificatio (Pius XII).
- 1956 7 X: INNOCENTIUS XI, *Benedictus ODESCALCHI* († 11 VIII 1689, Papa 21 XI 1676): Beatificatio (Pius XII).
- 1957 26 V: *Maria a Providentia, Eugenia DE SMET* († 7 III 1871): Beatificatio (Pius XII).
- 1959 3 V: *Maria Margarita DUFROST DE LEJEMMERAIS*, vidua d'YONVILLE ** († 23 XII 1771): Beatificatio (Ioannes XXIII).

Et haec de Causis absolutis. - Placebit quoque, cognoscere aliqua nomina Servorum Dei, quorum Causae apud S.H. examini subsunt; ecce quaedam nomina magis nota: Anna Elisabeth Seton ** († 4 I 1821); Bernardus Franciscus de Hoyos * SI († 29 XI 1735), devotionis ad SS.mum Cor Iesu in Hispania ardentissimus fautor; Bruno Pius Lanteri * († 5 VIII 1830), pertinet ad sanctos viros qui illo tempore in Torino floruerunt, ut S. Cafasso, S. Cottolengo, S. Don Bosco; Carolus Eugenius de Mazenod ** († 21 V 1861), ab an. 1837 ep. de Marseille, fundator Congr. Oblat.Virg. Mariae Immac.; Catharina Tekakwitha, * virgo indiana (iroquoise; † 17 IV 1680); Ezechiel Diaz y Moreno ** O.Rec.S.Aug. († 19 VIII 1906), ep. de Pasto in Columbia, acerrimus « Liberalismi » inimicus; Franciscus de Montmorency-Laval ** († 6 V 1708), primus vicarius, deinde ep. de Quebec, Canada; Guilelmus Iosephus Chaminade († 22 I 1850) fundator Societatis Mariae (« Marianistae »); B. Innocentius V, Petrus de Tarantasia ** († 22 VI 1276; el. 21 I 1276), theologiae scholasticae magister; Ioannes Philippus Roothaan SI († 8 V 1853), Prae-

positus Gen. lis Societatis Iesu, quam post restitutionem ad novam perduxit magnificentissimam vitam; Ioannes Maria Robertus de Lamennais ** († 26 XII 1860), frater infelicitis Hugonis Felicis Roberti; Marcus ab Aviano * OFMCap. († 13 VIII 1699), celeber contra Osmanos praedicator; Maria Ward († 30 I 1645) fundatrix « Dominarum Anglicarum »; Philippus Jenigen * SI († 8 II 1704), celeber missionarius.

Series particularis Causarum constituitur a Servis Dei *Martyribus*. - Saepius S.H. de his videre debet, an historice probari possit, eos vere martyres « fidei » fuisse, cum ordinarie rationi religiosae permixta inveniatur ratio politica. Indagationes et studium harum Causarum ordinarie difficiles sunt et magna circumspectione indigent; si habentur sententiae condamnationis, a tribunali vel a iudice prolatae, saepenumero causa et ratio condamnationis clare dignosci potest et iudicium proferre licet circa veritatem martyrii. Habemus in S.H. plures Causas martyrum temporis « magnae revolutionis » in Francogallia, et Causas martyrum angelorum a saec. XV et XVI; indagatum est in causas martyrii tempore persecutionis in China quae sub nomine « Boxer » notatur, atque studium factum est circa martyres in Paris tempore sic dictae « Commune », an. 1871, ut de aliis taceamus.

Alia series Causarum sui generis illae sunt, in quibus agitur de sic dicta « confirmatione cultus ». Sunt Causae quae incedunt « per viam cultus seu casus excepti » (can. 2125-2135). Forma iuridica harum Causarum creata est ab Urbano VIII, variis decretis, praecipue vero Constitutione « Caelestis Hierusalem » de die 5 VII 1634, quibus statuitur, Servos Dei qui ab centum et pluribus annis (id est saltem ab an. 1534), in possessione cultus sunt, si haec possessio rite probari possit, in eadem cultus possessione confirmari posse (unde dictum « confirmatio cultus »); tales Servi Dei *aequipollenter* beatificati esse censemur, et, post nova miracula, ad formalem possunt procedere Canonizationem (ex.gr. S. Nicolaus a Flüe). Cum in his Causis agatur de probatione historica exsistentiae cultus antiqui, pertinent per se ad S.H. Etiam de his Causis damus quaedam nomina: Hemma de Gurk († 27 VI 1045; cultus approbatus 5 I 1938); nonnullae adhuc sub iudice sunt vel parari debent: Adelaidis virgo et abbatissa († ca. an. 1015); Agnes de Bohemia seu de Praga O.S.Franc. († 6 III (II?) 1282); Berchtoldus abb. OSB de Garsten († 27 VII 1142); Kinga, regina Poloniae († 1292), et Hedwigis, alia regina Poloniae

(† 17 VII 1399); Hermannus Joseph O.Praem. († 7 IV 1241 vel 1252), cuius Causa in S.H. iam absoluta est (exspectatur Decretum approbationis cultus (31); Dorothea de Montau († 25 VI 1394), de qua paucos post annos instructus est Processus apostolicus Canonizationis (1404 ss.), quin tamen propter infaustas temporum vicissitudines ad Canonizationem pervenit; et aliae Causae, quas omitimus.

Denique, ut ad finem huius particellae perveniamus, placet nobis, praesentare conspectum summarium unius Positionis, ut ex exemplo peculiari modus et forma, necnon amplitudo similium «Positionum» cognosci possit. Sit exemplum *Positio super virtutibus* pro Serva Dei Rosa Venerini, iam Beata, cuius Causam pluries adduximus. Est signata N° 48 publicationum a S.H. editarum et exiit in lucem an. 1952, post tres annos plenos præparationis. Constat his partibus: *Informatio Relatoris generalis*, pp. III-XL; *Summarium de vita et virtutibus*, pp. XLI-CXLV; *Documenta*, pp. 1-671; *Animadversiones*, pp. 675-677; *Index*, pp. 679-688; *Tavole* (imagines et delineationes) I-IX; paginae omnes totius libri: 833. Numerus «Documentorum» est 38. Documentum VI, de P.e Martinelli SI, qui fuit Servae Dei spiritualis pater et operis eius adiutor, constat introductione historico-critica, pp. 40-48, et quatuor seriebus documentorum: A, 4 textus; B, 4 textus; C, 21 textus; D, 1 textus; totum «documentum» VI absolvitur paginis 40-105. Vel Doc. VIII, quo agitur de quaestione intricata de prima fundatione et directione scholarum piarum puellarum a Serva Dei in civitate et dioecesi de Montefiascone, auctoritate episcopi Cardinalis Marci Antonii Barbarigo, apertarum, quod habet introductionem criticam amplissimam, pp. 119-147, dum textus implant pp. 147-173. Haec sufficient ad formandam imaginem nostrarum Positionum, ac summae laboris impendendae, ut similia opera condantur.

A pluribus dicendis abstinemus; notetur tantummodo, officiales S.H. stabiliter adscriptos paucos esse, in quorum adiutoriorum sumuntur periti historici ad varias Causas prævio modo parandas, semper sub directione alicuius officialis S.H. Ipsa enim sola, ut patet, etiam si ab aliis iuvamen habet, de opere facto respondere debet. Quis ergo consideret quae inde ab an. 1930 a S.H. acta et facta sunt (selecta tantum actorum et factorum supra posui-

(31) Hoc Decretum demum exit in AAS 51 (1959) 830-831, sub die tamen 11 VIII 1958.

mus), et animum ponit in operariorum paucitatem, miretur sane demum multa molita esse.

9. DE CAUSIS NOSTRIS CONSPECTUS SUMMARIUS

Ad melius illustrandas proprietates et difficultates Causarum *historiarum nostrarum* multum conferet visio *omnium Causarum nostrarum, respectu maioris vel minoris tempestivitatis*, qua testium depositiones in Processibus canonicis collectae fuerunt. Comparisone facta huiusmodi tempestivitatis, clare elucescat differentia inter Causas regulares et historicas, necnon in lucem ponentur peculiares difficultates, quibus hae ultimae necessarie vexantur.

Tempestivitatis huius mensura *directe haberi potest e numero annorum*, qui inter mortem Servi Dei et initium primi Processus ordinarii defluxerunt, quod idem est ac dicere, *e qualitate testium*, quae stat in directa relatione cum tempestivitate initiae collectionis depositionum: siquidem testes haberi potuerint *de visu seu prima qualitatis*, aut saltem *de auditu a videntibus seu secundae qualitatis*, vel demum *de auditu auditus seu infimae qualitatis*.

Damus igitur conspectum generalem Causarum nostrarum, cum earum quae iam absolutae sunt (trium Sanctorum nostrorum), tum earum quae adhuc «currunt». - Conspectus generalis dispositus est ordine chronologico, ex anno mortis Servorum Dei deducto. Numeri inter duas stellas inclusi (ex.gr. * 23 *) indicant annos a morte Servi Dei usque ad actum nominatum defluxos. Ut iam institimus, decisivi valoris sunt anni intercurrentes inter mortem et *primum Processum informativum*; tempus ceterorum actorum in ulteriori Causae pertractatione dependere potest et saepius dependet etiam a causis et circumstantiis, a Postulatore vel etiam a praestantia Causae extraneis; nihilominus tamen non carent quadam significatione.

A. CONSPECTUS GENERALIS CAUSARUM NOSTRARUM

I.

1744 30 VI: † SARNELLI Ianuarius.

| | | | | |
|-----------------------------|------|--------|------|---------|
| Proc. ord. Napoli: | inc. | 5 I | 1861 | * 117 * |
| | fin. | 11 VII | 1870 | |
| <i>Introductio Causae:</i> | | 3 XII | 1870 | * 126 * |
| Proc. apl. Napoli: | inc. | 25 XI | 1876 | * 132 * |
| | fin. | 1 VI | 1881 | |
| <i>Decr. heroic. virt.:</i> | | 1 XII | 1906 | * 162 * |

2.

1750 19 IV: † SPORTELLI Caesar.

| | | | |
|----------------------------|------------|------|---------|
| Proc. ord. Nocera: | inc. 4 XII | 1893 | * 143 * |
| | fin. 4 III | 1896 | |
| <i>Introductio Causae:</i> | 4 XII | 1899 | * 149 * |
| Proc. apl. Nocera: | inc. 13 I | 1902 | * 152 * |
| | fin. 23 VI | 1907 | |

3.

1752 2 XI: † BLASUCCI Dominicus.

| | | | |
|----------------------------|------------|------|---------|
| Proc. ord. Nocera: | inc. 4 XII | 1893 | * 141 * |
| | fin. 8 I | 1896 | |
| Proc. ord. Conza: | inc. 13 XI | 1894 | |
| | fin. 6 II | 1896 | |
| <i>Introductio Causae:</i> | 23 V | 1906 | * 154 * |
| Proc. apl. Nocera: | inc. 20 X | 1907 | * 155 * |
| | fin. 26 I | 1913 | |
| Proc. apl. Conza: | inc. 20 X | 1907 | |
| | fin. 28 VI | 1913 | |

4.

1753 13 VIII: † CAFARO Paulus.

| | | | |
|------------------------------|-------------|------|---------|
| Proc. ord. Nocera: | inc. 4 XII | 1893 | * 140 * |
| | fin. 6 XII | 1895 | |
| Proc. ord. Conza: | inc. 13 XI | 1894 | |
| | fin. 6 II | 1896 | |
| Proc. ord. Cava dei Tirreni: | inc. 12 II | 1894 | |
| | fin. 20 VII | 1895 | |
| <i>Introductio Causae:</i> | 13 V | 1908 | * 155 * |
| Proc. apl. Nocera: | inc. 3 XI | 1909 | * 156 * |
| | fin. 14 V | 1919 | |
| Proc. apl. Conza: | inc. 29 X | 1913 | |
| | fin. 20 XII | 1917 | |
| Proc. apl. Cava dei Tirreni: | inc. 5 XI | 1910 | |
| | fin. 22 VI | 1918 | |

5.

1755 14 IX: † CROSTAROSA Maria Caelestis.

| | | | |
|----------------------------|------------|------|---------|
| Proc. ord. Foggia: | inc. 9 VII | 1879 | * 124 * |
| | fin. 8 II | 1884 | |
| <i>Introductio Causae:</i> | 11 VIII | 1901 | * 146 * |
| Proc. apl. Foggia: | inc. 2 V | 1932 | * 177 * |
| | fin. 31 X | 1932 | |

6.

1755 16 X: † MAIELLA Gerardus Maria.

| | | | |
|------------------------------|-------------|------|---------|
| Proc. ord. Muro : | inc. 11 IV | 1843 | * 88 * |
| | fin. 21 I | 1845 | |
| Proc. ord. Conza : | inc. 13 XII | 1843 | |
| | fin. 24 II | 1845 | |
| <i>Introductio Causae :</i> | 17 IX | 1847 | * 92 * |
| Proc. apl. Conza : | inc. 10 IV | 1850 | * 95 * |
| | fin. 28 X | 1856 | |
| Proc. apl. Muro : | inc. 20 IV | 1850 | |
| | fin. 24 X | 1850 | |
| <i>Decr. heroic. virt. :</i> | 8 VI | 1877 | * 122 * |
| <i>Beatificatio :</i> | 29 I | 1893 | * 138 * |
| <i>Canonizatio :</i> | 11 XII | 1904 | * 149 * |

7.

1787 1 VIII: † DE LIGUORI Alfonsus Maria.

| | | | |
|--|--------------|------|--------|
| Proc. ord. Nocera : | inc. 5 IV | 1788 | * 1 * |
| | fin. 9 III | 1789 | |
| Proc. ord. S. Agata dei Goti : | inc. 30 VIII | 1788 | |
| | fin. 23 XI | 1789 | |
| <i>Introductio Causae :</i> | 4 V | 1796 | * 9 * |
| Proc. apl. S. Agata dei Goti : | inc. 22 XII | 1796 | * 9 * |
| | fin. 24 XII | 1803 | |
| Proc. apl. Nocera : | inc. 11 V | 1797 | |
| Proc. apl. Nocera <i>de fama in genere :</i> | inc. 22 X | 1797 | |
| | fin. 2 XII | 1797 | |
| Proc. apl. Nocera : | fin. 19 II | 1802 | |
| <i>Decr. heroic. virt. :</i> | 7 V | 1807 | * 20 * |
| <i>Beatificatio :</i> | 15 IX | 1816 | * 29 * |
| <i>Canonizatio :</i> | 26 V | 1839 | * 52 * |

8.

1820 15 III: † HOFBAUER Clemens Maria.

| | | | |
|------------------------------|------------|------|--------|
| Proc. ord. Wien : | inc. 21 I | 1864 | * 44 * |
| | fin. 24 IV | 1865 | |
| <i>Introductio Causae :</i> | 14 II | 1867 | * 47 * |
| Proc. apl. Wien : | inc. 14 X | 1867 | * 47 * |
| | fin. 13 XI | 1869 | |
| <i>Decr. heroic. virt. :</i> | 14 V | 1876 | * 56 * |
| <i>Beatificatio :</i> | 29 I | 1888 | * 68 * |
| <i>Canonizatio :</i> | 20 V | 1909 | * 89 * |

9.

1849 3 XII: † DI NETTA Michael.

| | | | |
|------------------------------|-------------|------|--------|
| Proc. ord. Tropea : | inc. 5 XII | 1896 | * 47 * |
| | fin. 12 IV | 1898 | |
| Proc. ord. Nocera : | inc. 12 III | 1897 | |
| | fin. 27 XI | 1897 | |
| <i>Introductio Causae :</i> | 22 VI | 1910 | * 61 * |
| Proc. apl. Nocera : | inc. 30 III | 1914 | * 65 * |
| | fin. 15 V | 1919 | |
| Proc. apl. Tropea : | inc. 15 VI | 1914 | |
| | fin. 28 III | 1919 | |
| <i>Decr. heroic. virt. :</i> | 2 VII | 1935 | * 86 * |

10.

1858 30 X: † PASSERAT Iosephus Amandus.

| | | | |
|-----------------------------|--------------|------|--------|
| Proc. ord. Tournai : | inc. 8 VI | 1892 | * 37 * |
| | fin. 13 III | 1895 | |
| Proc. ord. Wien : | inc. 29 X | 1892 | |
| | fin. 20 XII | 1894 | |
| Proc. ord. Roma : | inc. 2 XII | 1892 | |
| | fin. 24 VIII | 1896 | |
| Proc. rog. Annecy : | inc. 26 VI | 1893 | |
| | fin. 26 VII | 1893 | |
| <i>Introductio Causae :</i> | 13 V | 1901 | * 43 * |
| Proc. apl. Wien : | inc. 14 III | 1902 | * 44 * |
| | fin. 18 XII | 1910 | |
| Proc. apl. Tournai : | inc. 27 V | 1902 | |
| | fin. 26 IX | 1907 | |

11.

1860 5 I: † NEUMANN Ioannes Nepomucenus.

| | | | |
|------------------------------|------------|------|--------|
| Proc. ord. Philadelphia : | inc. 5 V | 1886 | * 26 * |
| | fin. 24 X | 1888 | |
| Proc. ord. Budweis : | inc. 15 X | 1886 | |
| | fin. 8 III | 1888 | |
| <i>Introductio Causae :</i> | 15 XII | 1896 | * 36 * |
| Proc. apl. Philadelphia : | inc. 25 X | 1897 | * 37 * |
| | fin. 13 VI | 1902 | |
| Proc. apl. Budweis : | inc. 17 XI | 1897 | |
| | fin. 2 IV | 1901 | |
| <i>Decr. heroic. virt. :</i> | 11 XII | 1921 | * 61 * |

12.

1874 8 XI: † RIBERA Emanuel.

| | | | |
|---------------------|-------------|------|--------|
| Proc. ord. Napoli : | inc. 13 II | 1886 | * 12 * |
| | fin. 17 XII | 1897 | |

| | | | | |
|-----------------------------|-------------|------|--------|--|
| Proc. ord. Nocera (32) | inc. | | | |
| | fin. | | | |
| Proc. add. Salerno : | inc. 27 I | 1891 | | |
| | fin. 16 I | 1896 | | |
| <i>Introductio Causae :</i> | 8 V | 1912 | * 38 * | |
| Proc. apl. Napoli : | inc. 20 II | 1914 | * 40 * | |
| | fin. 12 IX | 1923 | | |
| Proc. apl. Nocera : | inc. 30 III | 1914 | | |
| | fin. 16 II | 1923 | | |

13.

1883 3 XI : † STÖGER Ioannes Baptista.

| | | | | |
|-----------------------------|-------------|------|--------|--|
| Proc. ord. Sankt Pölten : | inc. 17 XI | 1898 | * 15 * | |
| | fin. 17 XII | 1903 | | |
| <i>Introductio Causae :</i> | 15 XII | 1915 | * 32 * | |
| Proc. apl. Sankt Pölten : | inc. 23 IV | 1919 | * 39 * | |
| | fin. 23 I | 1922 | | |

14.

1887 14 I : † DONDERS Petrus.

| | | | | |
|-------------------------------|-------------|------|--------|--|
| Proc. ord. 's Hertogenbosch : | inc. 13 VII | 1900 | * 13 * | |
| | fin. 29 IV | 1903 | | |
| Proc. ard. Suriname : | inc. 9 XI | 1900 | | |
| | fin. 29 X | 1901 | | |
| <i>Introductio Causae :</i> | 14 V | 1913 | * 26 * | |
| Proc. apl. 's Hertogenbosch : | inc. 10 IX | 1914 | * 27 * | |
| | fin. 3 XII | 1919 | | |
| Proc. apl. Suriname : | inc. 8 I | 1915 | | |
| | fin. 1 III | 1918 | | |
| <i>Decr. heroic. virt. :</i> | 25 V | 1945 | * 58 * | |

15.

1896 30 IX : † PAMPALON Alfridus.

| | | | | |
|-----------------------------|--------------|------|--------|--|
| Proc. ord. Quebec : | inc. 18 V | 1907 | * 11 * | |
| | fin. 4 IX | 1908 | | |
| Proc. ord. Liége : | inc. 19 V | 1908 | | |
| | fin. 14 VIII | 1908 | | |
| <i>Introductio Causae :</i> | 22 II | 1922 | * 26 * | |
| Proc. apl. Liége : | inc. 30 VIII | 1924 | * 28 * | |
| | fin. 14 IV | 1925 | | |
| Proc. apl. Quebec : | inc. 16 VI | 1925 | | |
| | fin. 23 X | 1926 | | |

(32) Indicationes temporis huius Processus habere non potuimus.

16.

1899 26 IX: † STANGASSINGER Gasparus.

| | | | | |
|-----------------------------------|------|--------|------|--------|
| Proc. ord. München : | inc. | 8 IV | 1935 | * 36 * |
| | fin. | 24 III | 1938 | |
| Proc. supplet. München : | inc. | 10 III | 1937 | |
| | fin. | 21 III | 1938 | |
| Proc. rogat. S. Paulo de Brasil : | inc. | 22 IV | 1937 | |
| | fin. | 2 IX | 1937 | |

17.

1902 9 VIII: † LEONE Iosephus Maria.

| | | | | |
|---------------------|------|-------|------|--------|
| Proc. ord. Nocera : | inc. | 21 V | 1923 | * 21 * |
| | fin. | 28 VI | 1929 | |

18.

1916 10 I: † Lorodice Victor.

| | | | | |
|-------------------------|------|------|------|--------|
| Proc. ord. Montevideo : | inc. | 1 X | 1942 | * 26 * |
| | fin. | 5 IV | 1945 | |

19.

1917 17 VII: † Losrro Antonius Maria.

| | | | | |
|---------------------|------|-------|------|--------|
| Proc. ord. Nocera : | inc. | 30 IX | 1937 | * 20 * |
| | fin. | 21 XI | 1939 | |

20.

1926 30 VI: † JANAUSCHEK Gulielmus.

| | | | | |
|-------------------|------|-------|------|-------|
| Proc. ord. Wien : | inc. | 14 XI | 1934 | * 8 * |
| | fin. | 12 XI | 1937 | |

Ut conspectum hunc generalem Causarum nostrarum ad faciliorum usum transferamus, ex eo excerpemus singulas notitias in tantas tabulas minores translatas, quibus Causae nostrae ita disponuntur, ut uno oculorum ictu percipi possit, quot anni defluxerint a morte respectivi Servi Dei usque ad determinatos actus maioris momenti ejusdem Causae, qui in conspectu generali adducti sunt. Harum tabularum auxilio facile erit, quasdam deducere conclusiones, pro nostris Causis historicis earumque condicione non inutiles.

B. TABULAE SPECIALES

a) *Causae nostrae dispositae secundum tempus quod defluxit a morte Servi Dei usque ad initium (primi) Processus ordinarii seu informativi.*

Anni :

| | | |
|-----|-------------|------------------------------|
| 1 | 1787-1788 : | DE LIGUORI Alfonsus Maria. |
| 8 | 1926-1934 : | Janauschek Gulielmus. |
| 11 | 1896-1907 : | Pampalon Alfridus. |
| 12 | 1874-1886 : | Ribera Emanuel. |
| 13 | 1887-1900 : | Donders Petrus. |
| 15 | 1883-1898 : | Stöger Ioannes Baptista. |
| 20 | 1917-1937 : | Losito Antonius Maria. |
| 21 | 1902-1923 : | Leone Iosephus Maria. |
| 26 | 1860-1886 : | Neumann Ioannes Nepomucenus. |
| 26 | 1916-1942 : | Loiodice Victor. |
| 36 | 1899-1935 : | Stangassinger Gasparus. |
| 37 | 1858-1892 : | Passerat Iosephus Amandus. |
| 44 | 1820-1864 : | HOFBAUER Clemens Maria. |
| 47 | 1849-1896 : | Di Netta Michael. |
| 88 | 1755-1843 : | MAIELLA Gerardus. |
| 117 | 1744-1861 : | Sarnelli Ianuarius. |
| 124 | 1755-1879 : | Crostarosa Caelestis Maria. |
| 140 | 1753-1893 : | Cafaro Paulus. |
| 141 | 1752-1893 : | Blasucci Dominicus. |
| 143 | 1750-1893 : | Sportelli Caesar. |

Haec tabula fundamentum praebet ad distinguendas Causas *antiquas* seu *historicas* a Causis regularibus; aliis verbis, edocet nos de *tempestivitate primae indagationis canonicae*, in qua testes *de visu* in promptu erant, vel omnes, vel saltem sufficietes ad plenam et cumulatam probationem de Servi Dei sanctitate vitae et de ceteris omnibus rite explorandis. Notetur, in Processu S.i Gerardi — post 88 annos ab eius decessu! — *unum tantum* inventum fuisse hominem, testem ocularem, tunc 98 annorum (!), cuius omnino iejuna depositio non valuit Causam a condicione *antiquae* salvare. Reliqueae Causae, post elapsos annos 117-143 incoptae, formam completam Causarum *antiquarum* vel (ab anno 1930) *historiarum* exhibent.

b¹) *Causae nostrae dispositae secundum tempus quod defluxit a morte Servi Dei usque ad Introductionem Causae apud S. Rituum Congregationem.*

Anni :

| | | |
|----|-------------|----------------------|
| 9 | 1787-1796 : | DE LIGUORI Alfonsus. |
| 26 | 1887-1913 : | Donders Petrus. |

| | | |
|-----|-------------|------------------------------|
| 26 | 1896-1922 : | Pampalon Alfridus. |
| 32 | 1883-1915 : | Stöger Ioannes Baptista. |
| 36 | 1860-1896 : | Neumann Ioannes Nepomucenus. |
| 38 | 1874-1912 : | Ribera Emanuel. |
| 43 | 1858-1901 : | Passerat Iosephus Amandus. |
| 47 | 1820-1867 : | HOFBAUER Clemens Maria. |
| 61 | 1849-1910 : | Di Netta Michael. |
| 92 | 1755-1847 : | MAIELLA Gerardus Maria. |
| 126 | 1744-1870 : | Sarnelli Ianuarius. |
| 146 | 1755-1901 : | Crostarosa Caelestis Maria. |
| 149 | 1750-1899 : | Sportelli Caesar. |
| 154 | 1752-1906 : | Blasucci Dominicus. |
| 155 | 1753-1908 : | Cafaro Paulus. |

Ingressus alicuius Causae in altissimum Forum apostolicum, per *Introductionem Causae* apud S. Rituum Congregationem, non caret certa significatione; digna declarata est, ut Sancta Sedes seu summum Ecclesiae harum Causarum Tribunal in ea diiudicanda operam studiumque impendat.

Tempus, quo Causae Introductio fiat, dependet primo a termino Processus ordinarii seu informativi, deinde a confectione sic dictae *Copiae publicae*, quae inservit Postulatori et advocatis in elaborandis variis scriptis ad pertractationem Causae pertinentibus, demum (ne loquemur de habilitate Postulatoris), a capacitate materiali officii Promotoris Generalis Fidei, seu *Sectionis theologicae* S. Rituum Congregationis, quae, ut patet, pro rerum natura limitata est, et in qua centenae Causae simul tractandae occurunt. Haec certa quaedam difficultas, scilicet numerum Causarum qui his ultimis decenniis ex inopinato accrebit, absque serietatis et severitatis dispendio maiori cum celeritate expediendi, hoc efficit, ut recentioribus annis Introductiones Causarum non semper adeo celeriter earum in Congregatione praesentationem sequentur uti hoc initio adhuc huius saeculi saepius factum est, nec semper valet ipsa Causae praestantia ad celerius adipiscendum fastigium primum, nempe ipsius Causae Introductionem.

b²) *Causae nostrae dispositae secundum tempus quod defluxit ab absoluto Processu ordinario usque ad Introductionem Causae.*

Anni:

| | | | |
|------------|-----------|---|----------------------------|
| Eodem anno | 1870 | : | Sarnelli Ianuarius. |
| 2 | 1865-1867 | : | HOFBAUER Clemens Maria. |
| 2 | 1845-1847 | : | MAIELLA Gerardus. |
| 3 | 1896-1899 | : | Sportelli Caesar. |
| 5 | 1896-1901 | : | Passerat Iosephus Amandus. |

- 7 1789-1796 : DE LIGUORI Alfonsus Maria.
 8 1888-1896 : Neumann Ioannes Nepomucenus.
 10 1896-1906 : Blasucci Dominicus.
 10 1903-1913 : Donders Petrus.
 12 1896-1908 : Cafaro Paulus.
 12 1903-1915 : Stöger Ioannes Baptista.
 13 1897-1910 : Di Netta Michael.
 14 1908-1922 : Pampalon Alfridus.
 15 1897-1912 : Ribera Emanuel :
 27 1884-1901 : Crostarosa Maria Caelestis.

b³) *Absoluto iam Processu ordinario, usque ad currentem an. 1959, quot delapsi sunt anni, quin tamen Introductio facta sit*

- 14 1945-1959 : Loiodice Victor.
 20 1939-1959 : Losito Antonius Maria.
 21 1938-1959 : Stangassinger Gasparus.
 22 1937-1959 : Janauschek Gulielmus.
 30 1929-1959 : Leone Iosephus Maria.

Ordinarie curant Causarum Postulatores, ut, Processu ordinario Romam delato, quam citius fiat Causae Introductio apud Summum Tribunal Sacrae Rituum Congregationis; magni enim interest, tempestive intentare Processum apostolicum, ne testes pretiosi *de visu*, morte sublati, pereant. Tabula hic posita, sub hoc respectu, non indiget ulteriori explicatione.

c) *Causae nostrae dispositae secundum tempus quod defluxit a morte Servi Dei usque ad initium Processus apostolici.*

Anni :

- 9 1787-1796 : DE LIGUORI Alfonsus Maria.
 27 1887-1914 : Donders Petrus.
 28 1896-1924 : Pampalon Alfridus.
 37 1860-1897 : Neumann Ioannes Nepomucenus.
 40 1874-1914 : Ribera Emanuel.
 44 1858-1902 : Passerat Iosephus Amandus.
 47 1820-1867 : HOFBAUER Clemens Maria.
 65 1849-1914 : Di Netta Michael.
 95 1755-1850 : MAIELLA Gerardus Maria.
 132 1744-1876 : Sarnelli Ianuarius.
 152 1750-1902 : Sportelli Caesar.
 155 1752-1907 : Blasucci Dominicus.
 156 1753-1909 : Cafaro Paulus.
 177 1755-1932 : Crostarosa Caelestis Maria.

Introductione Causae peracta, ut Processus apostolicus apud tribunal Ordinarii loci fieri possit, necesse est, ut facultas agendi

nomine Sanctae Sedis Ordinario « remittatur », quod fit vi « litterarum remissorialium », una cum quibus transmittuntur etiam Interrogatoria, a Promotore Generali Fidei accurate composita. Haec omnia brevi tempore ab Introductione dilapso exsequi solent; propterea ordinarie initium Processus apostolici non ita multo post sequitur ipsam Introductionem Causae.

d) *Causae nostrae dispositae secundum tempus quod defluxit a morte Servi Dei usque ad decretum heroicitatis virtutum.*

Anni :

| | | |
|-----|------------|------------------------------|
| 20 | 1787-1807: | DE LIGUORI Alfonsus Maria. |
| 56 | 1820-1876: | HOFBAUER Clemens Maria. |
| 58 | 1887-1945: | Donders Petrus. |
| 61 | 1860-1921: | Neumann Ioannes Nepomucenus. |
| 86 | 1849-1935: | Di Netta Michael. |
| 122 | 1755-1877: | MAIELLA Gerardus Maria. |
| 162 | 1744-1906: | Sarnelli Ianuarius. |

Secundum fastigium, magna sane aestimatione dignum, ad quod Actores et Postulatores Causas Servorum Dei summa industria perducere adpetunt, est decretum super heroicitate virtutum.

Tribunal apostolicum per hoc decretum solemniter enuntiat hanc sententiam, a Summo Pontifice corroboratam : Servum Dei re vera ad plenam sanctitatem christianam pervenisse, ideoque promeruisse, ut a cuncto populo christiano tamquam exemplar vitae evangelicae considerari ac venerari possit (quapropter titulo « Venerabilis » honestatur !); accepta postmodum divina confirmatione huius sententiae per duo (in Causis historicis quattuor) miracula, Servus Dei ad cultum publicum Ecclesiae seu ad honores altarium elevabitur.

E nostris Causis, demptis tribus ad ultimum finem seu ad supremum fastigium Canonizationis perductis, quatuor tantum restant quae examen severissimum heroicitatis virtutum superaverunt, tres Causae regulares, una Causa historica; pro his exspectantur miracula.

e) *Causae nostrae dispositae secundum tempus quod defluxit a morte Servi Dei usque ad Beatificationem et Canonizationem.*

Ad Beatificationem.

Anni :

| | | |
|-----|------------|----------------------------|
| 29 | 1787-1816: | DE LIGUORI Alfonsus Maria. |
| 68 | 1820-1888: | HOFBAUER Clemens Maria. |
| 138 | 1755-1893: | MAIELLA Gerardus Maria. |

Ad Canonizationem.

Anni:

- 52 1787-1839: DE LIGUORI Alfonsus Maria.
 89 1820-1909: HOFBAUER Clemens Maria.
 149 1755-1904: MAIELLA Gerardus Maria.

A Beatificatione ad Canonizationem.

Anni:

- 11 1893-1904: MAIELLA Gerardus Maria.
 21 1888-1909: HOFBAUER Clemens Maria.
 23 1816-1839: DE LIGUORI Alfonsus Maria.

In hisce tabulis imprimis notandum venit, brevius vel longius temporis spatium quod intercurrit a decreto heroicitatis virtutum ad Beatificationem, et postea a Beatificatione ad Canonizationem, praecipue, immo unice dependere a libera Voluntate et Providentia divina, cui soli potestas est miracula perpetrare et momenta definire, in quo quisque Servus Dei (Beatus) in historiam Regni Dei in terra, ut Beatus, et eo vel magis, ut Sanctus, inserendus erit.

Opus Postulatoris, et in genere Actorum Causae, in his studiis delicatissimum est. Humano modo et humanis adiumentis sane via sternenda est ad maiorem Servi Dei (Beati) apud populum christianum cognitionem et venerationem, ex qua gignitur fiducia invocationis, neconon, post acceptas gratias, prudens fiat earum divulgatio, plane evitata omni exaggeratione vel nimis profana « publicitate ». Horae enim Dei non hominum mensura computantur, sed accedunt quando Ipsi placebit.

De S.o Alfonso praeterea recordandum est, eius Beatificationem ultro procrastinatam fuisse dupli invasione romana Gallo-francorum (1797-1800; 1809-1815); quotiescumque enim ab invasoribus Summus Pontifex ab Urbe vi deportatus est, etiam Congregationes romanae aliaque officia Sanctae Sedis a consueto labore plus minusve cessare coacta sunt.

De Canonizatione autem Beati Alfonsi certo constabat iam an. 1830, edito scilicet decreto « super Tuto », seu « tuto procedi posse ad Beati Alfonsi Canonizationem ». Causa igitur Patris nostri iam tunc plene absoluta erat; sed ratione expensarum pro solemnitate Canonizationis occurrentium Congregationis nostrae supremi gubernatores censuerunt exspectandum esse usquendum aliorum quoque Beatorum Canonizatio in proximo poneretur, ita ut, dispertitis impensis pecuniarum, onus nobis spectans facilius esset sustinendum. Sic factum est, ut Beatus Alfonsus a de-

creto Canonizationis facienda usque ad Canonizationem factam *novem adhuc annos* exspectare debuerit. Hac vero dilatione divina Providentia, «ludens», ad illud pervenit, ut una cum S.o Alfonso simul in Album Sanctorum inscriberentur alii duo coaevi neapolitani, Sancto nostro quoquo modo iuncti, S. Franciscus Di Girolamo SI († 11 V 1716) et S. Ioannes Iosephus a Cruce OFM (Carolus Gaetano, † 5 III 1734). Ceterum, reliqui Sancti item Alfonso sunt contemporanei, eidem vix ignoti: S. Pacificus a S. Severino († 24 IX 1721) et S. Veronica Giuliani († 9 VII 1727).

10. DE CAUSIS NOSTRIS HISTORICIS IN GENERE

Conspectum generalem Causarum nostrarum, uti promisimus, in singulas tabulas speciales distribuimus, qua occasione plurimas notitias considerationesque gratas annexere potuimus. Sed iam tempus est, ut ad thema proprium nobis propositum propinquius accedamus, ad loquendum videlicet de Causis nostris «historicis».

Superiore loco accuratius exposuimus, *quaenam* sint Causae «antiquae», quae inde ab an. 1930 pressius «historicae» appellantur. Momentum praecipuum, quo aliqua Causa ut «historica» constituatur, iterum summatim reportamus: Causa fit «historica», *si in Processu ordinario desint testes de visu*, ita ut pondus probationis principalis transeat ad documenta historica.

Ad dignoscendas igitur Causas historicas nostras inspicienda est tabula specialis a), qua eaedem Causae dispositae sunt secundum tempus quod a morte Servi Dei defluxit usque ad initium Processus informativi. Si percurras primam columnam, annorum scilicet, facile detegitur «hiatus» inter primam seriem Causarum, quarum Processus informativi initium habuerunt post spatium temporis quod ab uno anno crevit usque ad annos 47, et alteram seriem, in qua hoc idem spatium temporis ab annis 88 ascendit usque ad annos 143. Haec altera series complectitur sex Causas, quarum prima est S.i Gerardi, incopta tantummodo post 88 annos a morte ipsius. Uti iam significavimus, unus adhuc repertus est in Processu informativo testis *de visu*, annos 98 natus, qui itaque decem habuit annos, dum mortuus est Gerardus. Uno tali teste Causa non potest trahi in classem Causarum regularium, quarum probationis vis, tota vel saltem principalis, in depositinibus testium oculatorum consistit.

A Causa igitur S.i Gerardi incipiunt Causae nostrae «historicae»; prima haec a medietate sane saeculi absolutissima est per

Servi Dei Canonizationem. Causa P. is Sarnelli, sententiâ favorabili super virtutum heroicitate enuntiatâ, a tractatione historico-critica erecta est, at indiget confirmatione quattuor miraculorum, ut ad Beatificationem perveniat. Ceterae Causae autem adhuc sub iudice sunt, et egent tractatione illa peculiari, quae pro Causis historicis enucleandis constituta est.

Priusquam vero de singulis supradictis Causis historicis pauca dicemus, praemittimus adhuc tabulam « syntheticam », qua singula elementa harum Causarum, seu actus praecipui, quibus versus ultimum desideratissimum terminum, Beatificationem ac Canonizationem progressi sunt, in unum redacta inveniuntur. Numeris uncis rotundis inclusis indicantur anni a morte Servi Dei elapsi.

| N. | Nomen | Ann. mortis | Proc. Init. inform. | Introd. Causae | Init. Proc. apost. | Deer. heroic. virtut. | Beatif. | Canoniz. |
|----|----------------------|-------------|------------------------|----------------|-----------------------|--------------------------|-----------|-----------|
| 1 | MAIELLA Gerardus M. | 1755 | 1843 (88) | 1847 (92) | 1850 (95) | 1877(122) | 1893(138) | 1904(149) |
| 2 | Sarnelli Iauarius | 1744 | 1861(117) | 1870(126) | 1876(132) | 1906(162) | — | — |
| 3 | Crostarosa Caelestis | 1755 | 1879(124) | 1901(146) | 1932(177) | — | — | — |
| 4 | Cafaro Paulus | 1753 | 1893(140) | 1908(155) | 1909(156) | — | — | — |
| 5 | Blasucci Dominicus | 1752 | 1893(141) | 1906(154) | 1907(155) | — | — | — |
| 6 | Sportelli Caesar | 1750 | 1893(143) | 1899(149) | 1902(152) | — | — | — |

II. DE SINGULIS CAUSIS NOSTRIS HISTORICIS

I. - *De Causa S.i Gerardi Maiella.*

Prima quaestio, quae curiositatem nostram movet, haec est : curnam haec Causa tam sero incopta sit, cum de Gerardo talis ac tanta viguerit, intra et extra claustra, fama sanctitatis, mirabilium ac portentorum ? - Ratio principalis haec notatur : Congregatio nostra, nova adhuc et exigua, a morte Fundatoris, viri manifeste insignis et singularis, omnibus viribus nisa est, ut hanc primissimam Causam promoveret, qua nondum absoluta, omnino impar erat, aliam suscipiendi (33). Ita evenit (nec satis dolendum est !), ut nobilissima Causa Gerardi adeo debuissest procrastinari; pretiosi testes *de visu*, unus post alterum, e vita cessere, ita ut Causa demum indirectam tantum probationem, seu, uti aiunt, « ex secunda manu », preeberet. Hoc — in tota facti gravitate — probe agnovit expertissimus Promotor Generalis Fidei, qui in Positione pro Causae Introductione, pro sua scientia et cognitione, inter alia haec perspicaciter notavit :

(33) Ita explicatio Postulationis eius temporis. - Sed a morte S.i Gerardi usque ad mortem S.i Fundatoris 32 anni transierunt, quin tamen ullum tentamen Causae incipiendae factum esset.

MURANA seu COMPSANA... Gerardi Majella... *Positio super Introductionem Causae*, Roma 1847. - *Animadversiones Promotoris Fidei Generalis Mons. Petri Minetti.*

Post diuturnum silentium ac ferme post aevum in hoc sacro Foro Fr. Gerardi nomen profertur, et quae fuerat neglecta Causa impense promovetur. Tempestive saltem Processus acta essent habita, quia tunc testes locupletes et certiora documenta haberemus; sed et etiam diu praetermissa et serius inita quam par erat. Siquidem Dei Servus diem obiit supremum an. 1755, nec legitima inquisitio coepta est nisi an. 1843, seu octoginta et octo post annos. Hinc in duplice Processu proprio Antistitum iure Muri et Compsae habitu, unum reperis oculatum testem, annos natum nonaginta et octo, qui puer vidit Dei Servum et aliquando etiam allocutus est. Sed hic testis, ut patet, exilis profecto est ac iejunus...

De fama. - Dilatis tamdiu inquisitionibus atque oculatis testibus vita functis, populi rumor superfuit, qui sensim percrebuit et pro sui natura monstrorum confinxit. Hinc, si homines audis qui in Processibus testantur, passim reperies inania facta ac prorsus absonta quae fidem excedant... Fortesciscitaberis, quomodo fama istaec invaluerit? In promptu est ratio: magna scilicet illius gentis phantasiae vis, ad credenda monstrorum proclivitas, ardens fandi libido. [Sequuntur exempla], ut ratio pateat quae famam concitat atque etiam nunc fovet. Et re quidem vera,... plebi insueta placent, et illa virtus plus arridet, quae parum severa, quae proprio ingenio consentanea est, quae voluntati obsecundat, eo praesertim, dum monstrorum ferantur, quae eidem adstipulentur... Quae cum ita sint, iam patet, quomodo Servi Dei inoluerit. Eius quippe res gestae narratiunculis commixtae, et ferme implicatae, vitae rationem constituerunt, quae contextu suo plebem delectet ac paene rapiat, eo praesertim quod bona malis adiuncta sint, abnormia solitis, et ubique Deus inducatur, qui omnipotentia sua utrumque confirmet. His accedit partium studium, quod etiam in cordatis viris communem sensum obtundit... ac proinde oculatis testibus defunctis, via ferme reserata est qua fama pervaderet...

Disceptatione Causae progrediente, Promotor Generalis Fidei gradus sensim retulit, ita ut denique, non obstantibus gravibus animadversionibus supra memoratis, via ad supremam Gerardi glorificationem aperta sit. - Serior tamen recognitio vitae S. Gerardi ac portentorum quae in vita eius tam copiose accidisse asseruntur, viâ ac ratione cibrationis historicae-criticae, adhuc valde desideratur (34).

(34) RP Nicolaus Ferrante noster, in secunda editione libri *Storia meravigliosa del S. Gerardo Maiella* (Coletti, Roma, 1959) pretiosum addidit supplementum *Appendice storico-critica sui miracoli di S. Gerardo Maiella* (pp. 417-539), in quo methodo scientiae historicae congruente de miraculis disserit quae in depositionibus testium, tempore Processuum, descripta inveniuntur.

2. - *De Causa P.is Ianuarii Sarnelli.*

Processus ordinarius in Causa P.is Sarnelli initium habuit post 117 annos a morte eiusdem elapsos, ita ut quaevis probatio virtutum viâ directâ seu per oculatos testes excluderetur. Quasi necessario proinde Promotor Generali Fidei primas suas animadversiones contra hanc Causam a statu deficientis probationis desumpsit (vide textum infra positum). Postulator ergo Causarum nostrarum, ad supplendum Processum, potiora testimonia historica circa candidatum ad Beatificationem in lucem proferre coactus est, ut quoddammodo testium *de visu* defectûs ex notitiis scriptorum coaevorum repararentur. Hac agendi ratione iam praecluditur ad methodum historicocriticam adhibendam, secundum quam nostra aetate ex officio a Sectione Historica S. Rituum Congregationis Causae «historicae» pertractantur. Hoc modo difficultates, ex defectu testium oculatorum enascentes, ex adductis testimoniis *de visu*, qui olim depositiones suas tamquam simplices scriptores memoriarum reliquerunt, superari potuerunt. Notandum insuper, testimonium S.i Alfonsi, in Foro Sacrorum Rituum peculiariter fuisse pensatum, cum testimonium viri cuius virtutum absoluta perfectio iam authentice declarata est, sinceritatis et veritatis sigillo omnino confirmatum esse credatur. Sic in Causa nunc Venerabilis Servi Dei Sarnelli scopuli cautesque severae disceptationis feliciter superatae sunt.

NEAPOLITANA... Ianuarii Sarnelli... *Positio super Introductione Causae*, Roma 1874. - *Animadversiones* Promotoris Generalis Fidei Mons. Laurentii Salvati.

Caput I. *De probationibus.* - Ianuarius Maria Sarnelli mortalem vitam cum aeterna commutavit die trigesima iunii an. 1744,... in ordinaria autem inquisitione examen primi testis incepit an. 1864, mense novembri mediantem... Porro in themate, quamvis de dolo aut culpabili negligentia in dilatione huius Ordinarii Processus suspicio non oriatur, a vero tamen fortasse non aberit, qui arbitretur, Causam Beatificationis per centum viginti annos initiam non esse, eo quod neque coaevi nec qui illos consecuti fuerunt, hactenus promoveri dignam reputaverint... Non solum testium *de visu* defectum in casu animadvertere est, sed etiam probationis subsidiariae. E testibus quatuor et viginti ad examen accitis, quartus, qui aetate et rerum scientia gravior erat, P. Rafael M. Tocco, post saeculi dimidium eoque amplius, a Servi Dei obitu lucem adspexerat, ceteri illo iuniores [erant]... Hinc nemo repertus est, qui immediate a *videntibus* aliquid potuerit derivare; qui immo, si non omnes, plures tamen eorum ab iis tantum audiverunt qui item ab aliis de auditu testibus instructi erant...

[Continuat loqui de « exceptione affectionis », cum] omnes... ad unum vel e gente Sarnelliorum vel a Liguoriano Instituto alumnis eorumque amicis fuerunt delecti... Nonnulli ad audita tantum sese referunt, sed ab iis dumtaxat audivisse fatentur, qui de rebus antea lectis loquebantur... Ceteri, qui de orali traditione loquebantur, potissimum scientiae suae fontem constituunt in lectione librorum ac documentorum... Utcumque vero ab examinis initio scientiae suae rationem reddentes ad oretenus accepta appellarerint, in suis deinde responsis a libris iam editis aliisque chronicis monumentis notitias attingunt... Inspectis nimirum singulis attestationibus, vix aliquid reperitur ab historicis documentis non derivatum vel typis iam editis, vel manu exaratis, in quorum assidua lectione ideo versati sunt testes, ut examen subirent. Ecquid autem necesse erat, ut cuncti ad scriptores confugerent, si aliqua veri nominis oralis traditio de Servo Dei viguisse? [Nomina auctores praecipuos: *S.um Alfonsum, Tannoia, Landi, De Risio, Sparano, Giovine; notat postea etiam absentiam miraculorum post mortem Servi Dei ad eius intercessionem acceptorum*].

3. - *De Causa monialis OSSR Mariae Caelestis Crostarosa.*

Causa seu casus peculiariter difficilis.

1º - Haec enim Causa, incepta 124 annis a morte piae monialis, gravi inde ab initio laborat defectu, probationum scilicet per testes *de visu*, defectus gravior factus ex eo quod famula Dei in clausura vixit, ita ut numerus testium qui ex propria cognitione deponere potuissent, necessario valde circumscriptus manserit.

2º - Adde generaliorem difficultatem, ex capite nempe assertarum visionum et revelationum, seu ex statu vitae « mysticae » Servae Dei; hae enim, ut satis notum est, in Foro S.ae Congregationis disceptionem Causarum huiusmodi, nendum faciliorem, immo sat intricatam reddunt.

Hoc studio Causas primarie sub respectu probationis « historicae » recolimus; primo loco ergo observationes Promotoris Generalis Fidei, quibus Causam Mariae Caelestis sub hoc respectu aggressus est, exhibemus. Peropportune incipit a S.o P.e N.o Alfonso, statuens intimam eiusdem Sancti cum Famula Dei necessitudinem in condenda Congregatione nostra: attamen, illum, 32 annos post Servam Dei vitâ functum, inde ab an. 1839 « Sanctum » esse, de illa vero primos passus ad eandem gloriam adipiscendam tardissime tandem inceptos fuisse! revera Processus Ordinarjus Mariae Caelestis initium habuit 40 annos post Canonizationem peractam S.i Alfonsi.

Refellit quoque Fidei Vindex Generalis argumentum cuius ope

Superiorissa Monialium, Maria Teresia Spinelli, in Processu Ordinario adeo retardatum eiusdem Processus initium explicare voluit, adducens temporum adiuncta adversa, « utpote omnibus Causis facile accommodandum »; haec nihilominus assertio quandoque non omnino a veritate absona esse potest, quod tamen stricte viâ historicâ probandum erit.

Summopere tandem cum Tute Generali Fidei notare iuvat factum curiosum, quod facile in similibus Causis occurrere potest: insufficientiae testium, qui omnes *ab auditu*, saepius *ab auditu auditus* sunt, obviam venire contendunt Actores et Postulatores, adaugendo simpliciter *numerum* testium, obliviscendo ex maiori summa testium parum instructorum non amplificari veritatem et securitatem depositionis eorum. Successit enim in hoc Processu Ordinario, quod numerus enormous 116 testium inductus esset; atvero Tribunal, examinatis iam 62 testibus, animadvertisit ex eorum depositionibus parcas collectas esse ad rem pertinentes notitias, ita ut non pauci secundo ad Tribunal redire iussi sunt, interrogandi circa omnia « Interrogatoria » et omnes « Articulos »; sed obtentus est secundo idem effectus: quod quis ignorat, censes repetitus in iudicium, nescit revelare.

His ex Promotoris Fidei Generalis objectionibus deductis, eiusdem propria verba allegamus:

FODIANA... Mariae Caelestis Crostarosa... *Positio super Introductione Causae*, Roma 1901. - *Animadversiones* Promotoris Generalis Fidei Mons. Ioannis Bapt. Lugari (10 febr. 1901).

[*Incipit a S.o Alfonso eiusque cum Serva Dei relationibus in origine Congregationis SS. Redemptoris*]. Merito proinde, utriusque biographiam legens, dum S. Alfonsum a Maria Caelesti seiungere non vales, miraris sane, qui factum sit, ut istius Causa nunc primum huius nostri Fori limen attingat; ipsa enim obiit an. 1755, scilicet duo et triginta ante annos, quam ex hac vita migraret Alfonsus; atque nedum iste iam ab an. 1839, Gregorio XVI Pontifice Maximo, in Sanctorum numerum relatus est, sed nonnulli etiam eius sectatores Beatorum honores iam adepti sunt...

Miraris magis, si reputes de Ancillae Dei introducenda Causa pluries cogitatum esse... ob quaedam praesertim mirabilia, quae in eiusdem exuviis Deus operatus fuisse fertur... Argumentum, quod a temporum adiunctis depromptum ... innuit testis [Mater Soror Maria Teresia Spinelli], utpote omnibus Causis facile accommodandum, pluries equidem fieri non potest; restat itaque, ut tantae morae, quae Causae injecta fuit, quamlibet a se suspicionem amoveant Postulatores...

De Probationibus. ...Porro, si testium numerum spectes, qui in iudicio adducti sunt, affluunt illi quidem, sexdecim super centum habes, at quam

parum Causae utiles [*Evenit itaque, ut post auditos sexaginta et duo testes, ipsum tribunal non paucos eorum iterum ad deponendum revocaverit, interrogandos de omnibus interrogatoriis propositis*]. Sapiens hoc remedium, quod ubertim rei consuluissest, si opportuna rerum scientia instructi essent testes, contra, quum hi nihil fere de Ancilla Dei noscerent, ad eorundem ignorantiam magis confirmandam potissimum inserviit [*Iterum enim nihil aut quasi rescire affirmare coacti sunt*]. Haec sane ostendunt, oralem traditionem, quae subsidiariae, uti aiunt, probationis caput esse deberet, in hac Causa deficere...

Animadversiones Fidei Promotoris Generalis prodierunt post 17 annos a Processu Ordinario absoluto; mox vero signatum est *Decretum Introductionis Causae* apud Sedem Apostolicam (11 VIII 1901); attamen Causa iterum per 29 annos quievit. Introductione Causae hoc saltem demonstratum est, obiectiones Promotoris ita oppositis advocati responsionibus refutatas esse, ut via ad seriorē disceptationem non paecluderetur. Anno tandem 1930 Causa Servae Dei Crostarosa a nostra Congregatione patrocinanda suscepta est. Litterae patentes R.mi Rectoris Maioris P.is Patricii Murray, quibus MR.do P.i D'Orazio, tunc Causarum CSSR generali Postulatori, praefatam Causam delegaverat, 44^{mo} die post institutam novam Sectionem Historicam subscripta est (6 II / 22 III 1930) (35). Ita evenit, ut haec Causa, hucusque «Causa antiqua», facta sit «Causa historicā». Nihilo minus paulo post (2 V 1932) Processus Apostolicus instructus est, brevi absolutus (31 X 1932), nullius sane utilitatis, cum pro «Causis historicis» Processus Apostolicus suppressus est, cuius locum studium historico-criticum ab eadem Sectione *ex officio* instituendum obtinet. Notandum porro, hanc Causam «historicam» esse *materialiter* tantum, non vero *formaliter*; aliis verbis, Causa Crostarosa usque in hunc diem nondum in Sectione Historica praesentata et accepta est, quapropter «quiescit».

Si vero quodam die haec Causa formaliter apud Sectionem Historicam praesentaretur, graves difficilesque quaestiones indagationis historicae et cibrationis criticae orirentur; urgeret maxime editio integra ac critica «autobiographiae» Servae Dei et non nullorum aliorum scriptorum eiusdem, priusquam senior illa, quae requiritur, Causae disceptatio, prius historicā, et — feliciter superata — theologica pro iuris ac moris legibus peragi possit.

Demum, circa scripta Servae Dei, haec notare iuvabit: valor iuridicus Decreti super scriptis eiusdem Servae Dei (11 XII 1895) respicit pertractionem Causae tantum; edicitur enim, in illis

(35) *Analecta CSSR* 9 (1930) 145.

scriptis nihili inveniri, quominus *ad ulteriora procedere* non liceret. Animo bene advertatur, dicendi modo «approbatio scriptorum», reapse non quandam «approbationem» ecclesiasticam scriptis Servorum Dei dari, sed illa a censoribus theologis hoc praecipuo respectu perquiri, ut videatur: «Num in scriptis aliquid habeatur, quod fidei ac bonis moribus aduersetur» (can. 2068 § 1). Itaque, revisione scriptorum Mariae Caelestis rite peracta, declaratum est de more: «Nihil obstare quominus ad ulteriora procedi possit», hac tamen addita clausula: «sed scripta non edantur in consulta Congregatione».

4. - *De Causis P. is Pauli Cafaro, Fr. is Dominici Blasucci et P. is Caesaris Sportelli.*

Hae tres Causae ordinem proprium efformant: tres enim Servi Dei sensu stricto sibi invicem contemporanei sunt; intra spatum trium annorum ultimum expleverunt diem: 1750 Sportelli, 1752 Blasucci, 1753 Cafaro; eorum Causae uno eodemque anno 1893 agitari coptae sunt, postquam ab eorum obitu iam 140-143 effluxerunt anni; tres Causae aequali pariter laborant initiali vito: defectu probationis directae per testes *de visu* vel saltem *de auditu a videntibus*; ideo probationis vis praecipue ex historica argumentatione pendet. Momentum ergo principale in his Causis in eo consistit quod, quae in documentis afferendis continentur, adeo secure et copiose de virtutibus illorum Servorum Dei discepere et diudicare permittant, ut Sacra Congregatio Rituum iudicium certum de heroicitate virtutum formare possit.

Cum de harum Causarum Introductione apud sacrum illud Forum ageretur, Fidei Promotores Generales, pro eorum religione, uti facile comprehenditur, gravibus verbis de neglecto initio tempestivo harum Causarum conquesti, et de statu difficulti probacionum aperto dilucidoque sermone locuti sunt. Excerpta quaedam pro unaquaque Causa hic ponimus.

I.

NUCERINA PAGANORUM... Pauli Cafaro... *Positio super Introductione Causae*, Roma 1908. - *Animadversiones Promotoris Fidei Generalis Mons. Alexandri Verde* (5 III 1908).

Difficillimum sane est, modo iudicare post diuturnum saeculi et dimidii moram, quae aetatem nostram ab illa Dei Famuli separat, num reapse id elogium [*ipsius S. i Alfonsi*] Paulus Cafaro promeritus sit...

Ex retardatis siquidem ordinariis inquisitionibus illud incommodi haec Causa passa est, ut omnibus e medio sublatis, qui Servum Dei praesentem habuere eiusque virtutes admirari vel defectus, si qui forent, perspicere potuerunt, admodum difficile modo sit, de singulis eius actibus inquirere, deque ispius sanctitate aequum ferre iudicium. Non levis sane testium numerus sistitur, sed levissima singulorum scientia, infirmaque auctoritas... Nemo profecto huic Causae manus umquam apposuisse, nisi historica documenta extarent... Quamquam fere omnes ab examinis initio, scientiae suae rationem reddentes, ad traditionem ab antiquis sodalibus acceptam appellant, testes in hoc Processu expensi, in suis tamen responsis notitias ex scriptis documentis, quae inter Patrum et alumnorum manus versantur assidue, ac praesertim ex Famuli Dei biographia, a S. Alfonso exarata, ipsos derivasse manifesto appetat. Quare domestica documenta veluti oralis traditionis fontes usurpata esse consequitur...

2.

NUCERINA PAGANORUM seu COMPSANA... Dominici Blasucci... *Positio super Introductione Causae*, Roma 1906. - *Animadversiones Promotoris Generalis Fidei Mons. Alexandri Verde* (10 Maii 1906).

[*Post tanta elogia ab ipso S.o Alfonso aliisque scriptoribus, ut De Risio, prolata*], iam prudens quisque quaeret, curnam tamdiu haec Causa dilata fuerit, donec omnes Servi Dei sodales, qui uni uber et cumulatum de eius virtutibus ac sanctitate testimonium praebere poterant, supremum diem obiissent. Mirum sane, quod nonnisi post saeculum ac ferme dimidium ab huius adolescentis obitu iuridicis colligendis probationibus manus apposita sit, dum aliorum eiusdem Congregationis sodalium Causae iam sint feliciter absolutae [*adducit exempla*].

Numero quidem plures perpensi sunt testes in duplice inquisitione, nempe Nucerina Paganorum et Compsana, quae an. 1893-1895 episcopali iure adorna fuit, sed necessariae probationi efficienda parum idonei. Quas enim de Famuli Dei vita ac virtutibus notitias referunt, a biographiis et scriptis documentis, ut plurimum, mutuati sunt... [*Notat deinde, quasi omnes testes esse e familia alfonsiana*]: prudens quisque facile sentit, non parum auctoritatis in quolibet iudicio familiarium et amicorum testimonio detrahi... Haud sane despicienda arbitror documenta quae a Famuli Dei sodalibus aliisque eiusdem coaevis ac praesertim a S. Alfonso M. de Liguori exarata fuere; verum cum inter plura recenseantur etiam codices, relationes atque notulae, quae cuidam contemporaneo Servi Dei tribuuntur, quin tamen eius nomen et auctoritas perspecta sint, diligenter erat investigandum, an haec et alia id genus antiqua scripta genuina, authentica fideque digna essent. Quod peritorum iuratorum ope fieri oportebat...

Ceterum omnia haec documenta, praeter quam quod haud plenam et cumulatam exhibent de vita ac virtutibus Servi Dei historiam, veluti familiaria seu domestica testimonia censenda sunt, quippe ab iis conscripta, qui

amicitia, vel religiosa professione vel sanguine coniuncti cum eodem erant, proindeque ad Causam provehendam minus idonea et imparia. Humana enim natura ad amicos, propinquos et consanguineos laudandos maxime proclivis est, neque exaggeratio deest, ubi humanus amor, qui est meritorum amplificator, dominatur [adducit exempla huius exaggerationis].

3.

NUCERINA PAGANORUM... Caesaris Sportelli... *Positio super Introductione Causae*, Roma 1899. - *Animadversiones Promotoris Generalis Fidei Mons. Ioannis Bapt. Lugari* (4 mart. 1899).

Mirum profecto vobis continget, Eminentissimi Patres, Causam Dei Famuli Caesaris Sportelli, qui medio saeculo XVIII e vivis cessit, nunc primum huius Fori limen attingere.

Et sane Caesar noster e primis fuit S. Alfonsi De Liguori sodalibus, quocum illud etiam commune habuit, quod, cum et ipse in iuris disciplina non mediocriter esset versatus, in agendis in foro causis egregium sibi nomen pepererit...

Quae cum ita sint [quod scilicet ipse S. Alfonsus Causam P. is Sportelli incipere voluisse], fraudi quidem seu doli Causae Actores arguere non ausim, quasi, ut Causae succurrerent, ideo super sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum famam Servi Dei inquirere distulerint, cum potius per dilationem huiusmodi grave Causae praeiudicium quaesitum sit... Tunc solum Postulatoribus uti iure licebit Indulto, quod *Causis antiquis*, quae ex defectu testium *de visu* perpetuo silere debuissent, per celebre Decretum an. 1741 concessit Benedictus XIV, cum probatum fuerit, minime per ipsos Postulatores stetisse, quominus matrius ordinaria auctoritate inquisitio conficeretur, priusquam scilicet omnes de visu testes deficerent...

Sex super triginta testes auditи sunt in Processu auctoritate ordinaria in Curia Nucerina Paganorum confecto, sed testes isti, etsi in testimonii initio, ut moris est, ad traditionem quandam verbis generalibus appellant, tamen, quum de gestis Servi Dei agitur, de eius virtutibus in specie, de sanctitatis fama, saepe saepius ad scripta documenta configiunt... Ex his prono alveo fluit, oralem traditionem de gestis ac virtutibus in specie Dei Famuli penitus desiderari; hoc vero belle confirmatur ex eo, quod testes, qui scripta documenta se non adiisse declarant, ieuna admodum oratione utantur in testimonio dicendo; e contra, qui ex documentis rem hausisse affirmant, copiosi ad dicendum sint.

Si tamen, non obstantibus his aliisque objectionibus, Causae tres Introductionem adeptae sunt, hoc explicatur ex natura Introductionis; prima enim et summaria Causarum inspectio, quae Introductionem apud Sacram Congregationem praecedat, evitare intendit, ne Causae admittantur, quorum ulteriori pertractationi quoddam «impedimentum peremptorium» obstet, atque videre,

num Causae ipsae dignae sint, ut a Sancta Sede accipientur. De ambitu vero et valore probationis documentorum in Causis «antiquis» (nunc «historicis») progrediente examine et discussione iudicari poterit. Itaque, post Introductionem his Causis concessam (ann. 1899-1908), mox Processus apostolici constructi sunt, omnes tres — uti ex natura rerum coniecturari licebat — sat levies. Hisce Processibus absolutis (ann. 1902-1909), omnes tres Causae quieverunt.

An. tamen 1930, uti diximus, nova incepit aera pro Causis «antiquis», quippe quae novae institutioni peculiari traditae sunt, Sectioni scilicet «historicae», eo fine ut harum Causarum propriis difficultatibus proprio adiutorio mederetur. Sperandum erat, quatuor Causas historicas nostras mox apud S.H. praesentatas esse, atque ea omnia fieri ad movendas has Causas et ad desideratum finem tandem perducandas. Sed reapse una tantum Causa historicā nostra apud S.H. inducta est, scilicet P. is Sportelli. De hac ergo aliquid addendum.

Circa statum praesentem Causae Servi Dei Caesaris Sportelli haec igitur diligenter consideranda sunt :

Haec Causa praesentata et accepta est apud S.H., sub N° 70 catalogi Causarum historicarum, die 1 XII 1934, cum R.mus Dom Quentin OSB munus Relatoris gen.lis gereret; quo e vivis sublato, 4 II 1935, novo Relatori gen.li R.mo P.i Antonelli OFM, diebus 7 X et 11 XI 1935 *Positio super Introductione Causae et Positio super virtutibus atque Summarium* (pars Positionis super virtutibus) porrecta est. Cum hae Positiones prorsus insufficientes sint ad promovendam Causam «historicam», demum, diebus 11 et 22 XII an. 1939, instantे Vicerelatore gen.li, ad S.H. portatae sunt sequentes particulae ad Causam pertinentes : Copia publica Processus ordinarii, copia publica Processuum apostolicorum super fama in genere et super virtutibus in specie, epistulae P. is Sportelli, an. 1937 a RP Henze editae, liber qui titulum habet «*Compendio della vita*», et liber «*Notizie della vita del P. D. Cesare Sportelli della Congregazione del SS. Redentore* fedelmente riportate da manoscritti antichi, che si conservano nell'Archivio Generalizio dei PP. Redentoristi in Roma», necnon iterum Positiones supra notatae. His omnibus breviter inspectis, sat clare apparuit necessitas Causam exstruendam esse super fundamentum solidum documentorum, ad leges artis criticae cribrandorum, atque perficiendas esse novas investigationes et studia ulteriora. Interea exierat novum Decretum, quo Normae praescribebantur

in Causis historicis adhibendae hac ratione, ut S.H. materiam necessariam pro singulis Causis iam collectam et paratam acciperet. Rudis et indigesta moles rerum pro Causa P.is Sportelli praesentata, absque apparatu critico, non potuit ab ipsa S.H. elaborari.

Causae in adiutorium venit an. 1943 RP Aloisius (36) Arnold, Prov. Argentoratensis, Romam vocatus, ut Archivo gen.li praesasset. Hic, pro personali veneratione qua prosecutus est primaevos Congregationis nostrae heroes, ulti se obtulit ad parandam Causam P.is Sportelli iuxta dictamina artis historicae et secundum indicationes, quae a S.H. libenter essent praestatae. Ita venit ut omnia quae pro Causa supradicta apud S.H. inveniebantur, ad Collegium S. Alfonsi reportarentur, ut diligentissimi sollecitudini P.is Arnold subicerentur. Hic, sedula assiduitate, praeter directionem ordinariam Archivi gen.lis, circa documenta originalia in nostris Archivis existentia accuratam instituit indagationem, curavit transcriptionem fidelem scidularum olim a P.e Tannoia de vita et virtutibus P.is Sportelli collectarum (quae absque ullo criterio, absque adnotationibus, absque ullo directorio cronologico in «Notizie della vita» edita fuerant), et paravit amplissimum schedarium, ex variis fontibus, editis et ineditis, collectum, de vita et actuositate missionaria Servi Dei. Attamen, die 18 III 1946, propter diuturnas infirmitates, coactus est Româ discedere; laborem perutilem aegro corde imperfectum reliquit. 18 XI 1951 optimus Pater pientissime supremum obiit diem in Drei Ähren, Trois-Epis (Cfr *Maria Immerhilf* 20 [1952] 15; *Perpétuel Secours* 18 [1952] 7).

Studium a P.e Arnold Causae Sportelli tam sollerter dicatum, conatus mansit laudabilis, sed per eius ex Urbe redditum in patriam interruptus, neque umquam postea repetitus. Sic haec Causa pergit apud S.H. quiescere, usque ad tempus quo ab iis quibus spectat, providebitur.

12. CONCLUSIO

Causas nostras «historicas» summatim inspeximus. Conclusio finalis brevibus verbis exponi potest.

Sex invenimus inter Causas nostras Beatificationis (nullam habemus hoc momento quae directe ad Canonizationem ordinetur),

(36) Per transennam notari potest, car.mum P.em Arnold patronum habuisse ex baptismo acceptum S.um Aloisium (21 VI) (ita in Cat. 1922, ubi primum inscriptus est), non vero S.um Ludovicum regem (25 VIII), ut in recentioribus catalogis (1948, 1955) scriptum est. Scribenti hoc certum constat ex eo quod quotannis, dum P. Arnold Romam habitat, simul die festo S.i Aloisii visitavimus ecclesiam S.i Ignatii ad precandum ante altare S.i Aloisii, quem dictus Pater semper affirmabat suum esse patronum.

quae prae se ferunt notas illas peculiares, quibus distinguuntur Causae «antiquae», uti olim dicebantur; vel «historicae», sicut ab an. 1930 denominandae sunt.

Una omnibus numeris absoluta est, fine consecuto: Causa S.i Gerardi Maiella; altera disceptationes historico-criticas, a methodo rigorosa nunc vigente impositas elusit, cum longe ante institutionem S.H. ad declarationem virtutum heroicarum pervenisset: Causa Ven. P.is Ianuarii Sarnelli.

Restant ergo quattuor Causae, quae ad normam legis vigen-
tis vere «historicae» sunt: Causae scilicet monialis OSSR Mariae Caelestis Crostarosa, P.is Pauli Cafaro, Fr.is clericis Domini-
ci Blasucci, et P.is Caesaris Sportelli. Pro his Causis etiam con-
structi sunt Processus apostolici, tres longe ante leges particula-
res an. 1930, quibus istis Processibus substituti sunt studia histo-
rico-critica a S.H. ex officio perficienda, unus Processus apostoli-
cus post illas leges constructus est. Condicio ergo generalis harum
quattuor Causarum eadem est. In uno tamen differunt: Causa P.is Sportelli apud S.H. debite inducta est, ceterae tres usque nunc
non dum praesentatae sunt. Attamen, sicut accurate supra descrip-
simus, etiam Causa P.is Sportelli, cum post conatum P.is Arnold
ad sublevandam Causam nihil amplius definitum sit, sicut et re-
liquae tres non inductae, quiescit.

Quid ergo faciendum, si de his Causis promovendis cogitari
propositum foret?

Ante omnia (iam hoc quoque innuimus) quattuor illae Cau-
sae indigent praeparatione historico-critica ex omni parte absoluta.
Haec praeparatio spectat ad Actores, seu ad Postulationem, et fieri
debet ad normas artis criticae atque in societate cum S.H., cui
demum materia parata debite praesentanda erit, ut ipsa deinde
ex officio ad ulteriora progredi possit.

APPENDIX I

DOCUMENTA

DOC. I.

BENEDICTUS XIV. - Decretum generale S. Rituum Congregationis circa pro-
bationes in Causis antiquis et de numero miraculorum in his Causis
requisitis. - 23 IV 1741.

Benedicti XIV Pont. Opt. Max., olim Prosperi Cardinalis De Lambertinis opus «De Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione». - Editio: Prato 1841; vol. 5/6, Tom. VI, pp. 8-9.

Cum in Congregatione generali habita coram SS. D. N. Benedicto-
Papa XIV die vigesima prima Martii proxime praeteriti, occasione agendi

de virtutibus Ven. Servi Dei Francisci Caraccioli Congregationis Clericorum Regularium Minorum Fundatoris, earumque sufficienti probatione generatim etiam quae situm atque acriter disputatum fuerit, possent ne unquam aut deberent haberi satis probatae ad effectum, de quo agitur, virtutes alicuius *sine ulla testibus de visu*: Sanctitas sua, perlectis Consultorum, et auditis Reverendiss. Cardinalium tunc suffragiis, reque postea secum, et cum aliis etiam mature perpensa et pertractata, ad ambages quascumque certa et clara lege desuper tollendas, ita censuit distingendum:

Ut in *Causis Beatorum, procedentibus per viam cultus* sive a Sede apostolica indulti, sive per tempus immemorabile delati, non recedatur ab antiqua praxi admittendi virtutum aut martyrii probationem, quam vocant subsidiariam, conflatam *ex testibus* quidem tantum *de auditu* quandoque *a videntibus*, quandoque *non*, sed variis tamen roboratam adminiculis, ad faciendam viro prudenti ac de re gravi iudicaturo auctoritatem et fidem idoneis, ad quae rite colligenda et emittenda sunt a Maioribus nostris litterae et processus compulsoriales ordinati: cum aequum sit, et antiquitatis et cultus haberri rationem; neque negari possit, quin magnum sanctitatis argumentum sit, quod quis colatur propter sanctitatem. Tametsi etiam in Beatis, et antiquis, ubi testes *de visu* habeantur vel haberri possint, ex his, et non *ex solis testibus de auditu*, eorum virtutes aut martyrium (quemadmodum et in variis huiusmodi causis factum est), probari debent.

Ex quadam etiam aequitate, ne interdum scilicet contingat, Causas, Dei atque hominum iudicio ceteroquin promoveri dignas, ex solo testium *de visu* quandoque non culpabili defectu, iacere omnino et perpetuo derelictas; praesertim cum, neque raro, claris de caelo signis et prodigiis auditur Deus huiusmodi defectu non attento, amicum suum, ut superius ascendat, invitare: possit eadem subsidiaria probatio admitti et in *Causis simplicium Dei Servorum per viam non cultus procedentibus*: quando tamen non constiterit, primos auctoritate ordinaria Processus fuisse dolo malo aut culpabili negligencia tamdiu dilatos, donec testes *de visu* nulli superessent, et quando etiam, comperta eiusmodi testium defectu, sacrae tamen Congregationis consilio signata Causae fuerit Commissio, et litterae remissoriales ad Processus auctoritate apostolica faciendos expeditae, nulla cum spe testium *de visu* in ipsis audiendorum.

Atque in his causis deinde suffragium laturi, ubi ex dicta probatione subsidiaria, omnibus simul rite et recte pensatis, talis ac tanta (ipsorum iudicio) exsurgat veri martyrii, aut virtutum heroicarum moralis (ut aiunt) certitudo, qua non impossibile quidem, sed imprudens (ipsorum pariter sententia) reddat iudicium de opposito; ne qua ex diversitate respondendi oriatur deinde sententiarum ambiguitas, hac ferme formula respondeant seu rescriban: virtutes in gradu heroico, aut martyrium ita probari, ut tuto procedi possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem miraculorum, in casu et ad effectum, de quo agitur.

Simil tamen, ne iuris rigor in his causis adhiberi nedum solitus, sed et necessarius, ullo pacto relaxetur; sed quod ex humano testimonio deerit, divino compensetur: miracula primum quidem quacumque in Causa sive Beatorum ad Canonizationem, sive Servorum Dei ad Beatificationem, non nisi *ex testibus de visu* quoad substantiam approbentur; nulla ratione habita illorum, quae in Processu ex solis testibus *de auditu* deposita, et quantiscumque documentis confirmata perlegantur: cum nova alia subinde miracula,

testibus *de visu* plene comprobata, possint quotidie, si Deus voluerit, supervenire.

Deinde vero, cum in Causis Beatorum per viam cultus immemorabilis aut indulti procedentibus, de stylo praesenti sit, ut approbato iam, *ex testibus de auditu* (ut supra dictum est) adminiculis, martyrio aut virtutibus in gradu heroico, ex duobus deinde miraculis ad solemnem eorum Canonizationem deveniatur; in posterum non duo, ut hactenus, sed *quatuor* ad eorum Canonizationem probari debeant miracula, et quidem (ut dictum est) *ex testibus de visu*.

In causis autem simplicium Servorum Dei procedentibus per viam non cultus servetur quidem qui iampridem invaluit mos, ut probatis *ex testibus de visu* virtutibus, et duobus deinde miraculis ad Beatificationem procedatur. At ubi virtutes aut martyrium *ex testibus de auditu* (ut supra) fuerint probatae, non duo, ut hactenus, sed *quatuor* omnino ad Beatificationem, ac deinde duo alia post illam facta, ut moris est, ad eorum Canonizationem ex testibus pariter *de visu* debant approbari.

Atque ita servandum Sanctitas sua censuit, decrevit et mandavit hac die 23 Aprilis 1741.

DOC. II.

S. PIUS X. - Decretum S. Rituum Congregationis circa titulum « Venerabilis » post declarationem heroicitatis virtutum tantum conferendum, et de ordine in Causis antiquis observando. - 26 VIII 1913.

AAS 5 (1913) 436-438. Codicis Iuris Canonici Fontes VIII (Città del Vaticano 1938) N° 6394.

De Servis Dei, quorum sanctitudo vitae legitime examinanda curatur, nonnullis maxime locis usu venit, ut, cum admovetur manus ordinariis processibus instruendis super eorum virtutibus vel martyrio, sacra quaedam solemnia in ecclesiis indicantur, ac signata Commissione ad causam pertractandam apud S. Rituum Congregationem, vulgo diffundatur nuntius, non aequo prorsus loquendi modo, Dei Servum, cuius causa introducta sit, *Venerabilem ab Apostolica Sede esse declaratum*, atque inter ea solemnia pro gratiarum actione panegyricae etiam orationes habeantur eaeque saepius adeo immoderatae, ut facile in errorem inducantur fideles, debitam putantes eisdem Dei Servis venerationem, quae solis beatificatis et canonizatis debetur. Haec animadvertis Ssmus D.N. Pius Pp. X, ne quid Ecclesiae disciplina detrimenti capiat, primum omnium solemnia, quae contra pristinam consuetudinem celebrantur cum agitur de inchoandis processibus ordinariis, reprobavit et prohibuit: deinde recolendam mandavit declarationem additam die 19 februarii 1658 Decretis f.r. Urbani VIII, *Ne, scilicet per Commissiones introductionis vel reasumptionis seu ulterius progressus causarum tum signatas tum signandas ullum beatitatis vel sanctitatis aut indultae venerationis et cultus argumentum vel minimum desumi, nec aliud quodcumque ius, quantumvis modici aut fere nullius momenti, in eiusdem causis quaesitum dici vel praetendi possit*: denique, adhibito consilio gravium virorum et exquisito peculiari voto nonnullorum S. R. E. Cardinalium, vetuit Servos Dei quorum causae posthac introducentur, *Venerabiles appellari*, item solemnia peragi occasione decreti editi super causae introductione. Inhaerens autem sententiae f. r. Benedicti XIV, qui tutius fore censuit a panegyricis orationibus penitus abstinere in honorem Servorum Dei nondum beatificatorum, eas haberi ora-

tiones edixit in posterum non licere. Permisit vero ut Servi Dei tantummodo post editum decretum super heroicitate virtutum vel super martyrio *Venerabilis* titulo ornentur, ita tamen ut ex hac permissione nullum argumentum induluae venerationis item argui vel praetendi possit. Praeterea consulens pietati fidelium, qui facile hisce in casibus sacrae occasione solemnitatis decipi possent, putantes fas esse ut beatum colere eum de cuius beatificatione iudicium adhuc apud S. R. C. pendeat, solemnia ad gratias Deo agendas etiam post editum decretum super heroicitate virtutum vel martyrio pariter prohibuit, qua tamen prohibitione impedire non intendit quominus in missis addatur, prout decet, collecta pro gratiarum actione.

Idem Ssmus D. N. ad rectam tractationem Causarum beatificationis et canonizationis, earum praesertim quae partim historicis monumentis nituntur, vel earum quae subsidiarie probationis privilegio gaudent, illis ipsis in consilium adhibitis quos supra diximus, et exquisita sententia Rmi Patris Promotoris sanctae Fidei haec constituit:

I. In omnibus causis, praesertim recentioribus, Rmi Ordinarii in condendo informativo processu praeter testes qui causae favent, eos etiam universos omnes qui causae adversentur excutiant, nemine excepto, idque sub pena nullitatis, onerata conscientia tum Ordinariorum tum Promotorum fiscalium.

II. In omnibus causis, praesertim antiquis, cum processu ordinario sive informativo compulsentur omnia et singula historica documenta sive manuscripta, sive typis edita, quae quocumque modo causam respiciant quae agitantur. Ad hoc non modo monendi sunt detinentes iura compulsanda, ut ea Ordinario exhibeant; sed, si res postulaverit, examini subiiciendi erunt sub religione sacramenti custodes cuiusvis archivi vel tabularii sive publici sive privati; summa quoque diligentia et industria curandum est ut cuiuslibet generis documenta ad causam conferentia conquerantur, quae omnia et singula cognoscenda sunt ad normas traditas a fel. rec. Benedicti XVI, lib. II, c. LII.

III. Antequam in Congregatione ordinaria discutiatur dubium super introductione Causae, Sacrorum Rituum Congregationis erit exquirere, pro re nata, documenta apud Curias, uti vocant, generalitias Ordinum et Institutorum religiosorum tum virorum tum foeminarum, necnon in tabulariis Sacrarum Romanarum Congregationum, et ubicunque iure praesumitur ea posse reperiri.

IV. Omnia et singula documenta, sive compulsata cum processu ordinario, sive a S. R. C. collecta, subiificantur iudicio peritorum a S. R. C. eligendorum, qui scriptis doceant de eorum auctoritate et vi.

Promotori vero Fidei, antequam indicetur Congregatio ordinaria pro introductione causae, omnia documenta exhibeantur una cum sententia peritorum.

V. Documenta potiora praecipue ex integro typis edantur, praenotatis nomine auctoris, tempore, loco et ceteris id genus adjunctis, atque inserantur Positionibus super virtutibus vel martyrio, una cum relatione peritorum, quos supra memoravimus, de auctoritate et vi documentorum.

VI. In Positionibus pro Congregationibus Ordinaria, Antipraeparatoria et Praeparatoria, animadversionibus Promotoris Fidei praemittatur synopsis vitae Servi Dei cuius causa tractatur, breviter et lucide ex officio conscripta, desumpta tum ex testibus tum ex documentis.

VII. In singulis vero Causis beatificationis, quarum iudicium in praesens apud S. R. Congregationem quocumque modo pendeat, Sacra ipsa Congregatio non procedat ad ulteriora, nisi exhibitis, ab interesse habentibus, et exquisitis ex officio documentis iisque omnibus examinatis quo modo supra dictum est.

Quae omnia et singula Sanctitas Sua decrevit et servari mandavit, cu-
raeque et vigilantiae commisit praecepsim Secretarii S. R. C. et Promotoris
S. Fidei pro tempore, atque in Acta Apostolicae Sedis referri iussit hac die
26 augusti 1913.

Ex Secretaria S. R. C.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., *Secretarius.*

DOC. III.

PIUS XI. - Allocutio habita occasione lectionis decreti super heroicitate vir-
tutum Servi Dei Fratris Benildis Scholarum Christianarum. - 6 I 1928.

Pio XI, *Inviti all'eroismo*, curâ P. TESTORE SI, vol. II, Roma 1942, 155-158.

Ricordiamo anzitutto, come i santi Magi, di cui si celebra la memoria, anche a Noi e a coloro che Ci ascoltano, hanno portato ben preziosi doni, quei doni di santità, di edificazione, e di esortazione che risplendevano più vivamente all'orizzonte, quando su di esso si levava come una stella, con la sua vita e con le sue virtù, il Ven. Fratel Benilde delle Scuole Cristiane, un umile Servo di Dio, la cui vita fu tutta di modestia e di silenzio, tutta comune e tutta quotidiana.

Ma quanto di non comune e di non quotidiano è in quel comune e in quel quotidiano! Il quotidiano che torna sempre lo stesso, che ha sempre le stesse occupazioni, le stesse situazioni, le stesse difficoltà, le stesse tentazioni, le stesse debolezze, le stesse miserie, fu ben detto il « terribile quotidiano ». Quale forza si richiede anche solo per difendersi da questo terribile, schiaccIANte, monotono, asfissiante quotidiano! Quanta non comune virtù è necessaria per adempiere con non comune esattezza, o meglio non con la comune e quotidiana così frequente inesattezza, rilassatezza, negligenza, faciloneria, ma con attenzione, pietà, fervore intimo di spirito, tutto il complesso di cose comuni che riempie la nostra vita quotidiana!

La Chiesa non è mai tanto grande apprezzatrice e tanto provvida maestra di santità come allorché mette in alto queste umili luci, tanto spesso ignote a quelli stessi che ebbero il bene di vederle splendere sotto gli occhi loro.

Le cose straordinarie, i grandi eventi, le belle imprese, col loro sol presentarsi suscitano e svegliano gli istinti migliori, le generosità, le energie sopite che tanto spesso dormono in fondo alle anime. Le grandi circostanze sono come un eletto argomento per un artista e un poeta che col solo suo presentarsi porta l'ispirazione verso le più alte vette. Ma il comune, il volgare, il quotidiano, quello che non porta con sé nessun rilievo, nessuno splendore, non ha certamente in sé nulla di eccitante e di affascinante. Eppure è così che è fatta la vita dei più, che ordinariamente non si intesse che di cose comuni e di avvenimenti quotidiani.

E' per questo che tanto provvida ci appare la Chiesa quando c'invita ad ammirare ed imitare gli esempi delle più comuni ed umili virtù quoti-

diane, tanto più preziose quanto più sono umili e comuni. Quante volte le circostanze straordinarie si presentano nella vita? Ben rare volte: e guai se la santità dovesse essere riservata solamente a quelle straordinarie circostanze! Che cosa farebbe la maggior parte? Eppure per tutti, senza distinzione, è rivolto l'appello alla santità!

La vita è una milizia per la conquista di un alloro, a cui tutti debbono mirare, e che soltanto attraverso la santificazione si può conseguire... Ecco dunque la grande lezione che questo umile Servo di Dio viene a portarci ancora una volta che cioè non nelle cose straordinarie consiste la santità, ma nelle cose comuni non comunemente adempite.

DOC. IV.

PIUS XI. - *Motu Proprio* « Già da qualche tempo », quo instituitur apud S. Congregationem Rituum nova (tertia) Sectio, « historica », ad pertractandas quaestiones quae indagationem historicam requirunt. - 6 II 1930.

AAS 22 (1930) 87-88.

PIUS PP. XI

Già da qualche tempo è venuta maturando in Noi la persuasione che i procedimenti in uso presso la Sacra Congregazione dei Riti per la trattazione delle Cause « storiche » dei Santi hanno bisogno di qualche ritocco, affinché possano meglio corrispondere alla propria natura di tali cause e alle loro speciali esigenze (natura ed esigenze abbastanza chiaramente indicate già da Benedetto XIV: *De Servorum Dei beatificatione et canonizzazione*, dove parla delle *causae antiquae*), massime tenuto conto dello sviluppo raggiunto dalle discipline storiche e dei perfezionamenti portati ai loro metodi.

Per cause « storiche » dei Servi di Dio intendiamo quelle per le quali (trattisi della vita, delle virtù, del martirio o di antico culto) non si possono raccogliere deposizioni di testimoni contemporanei ai fatti in causa, né si hanno documenti certi di tali deposizioni debitamente raccolte in tempo opportuno.

Sembrandoci *coram Domino* di non poter frapporre ulteriori indugi, invocato il divino aiuto e chiamati a consiglio uomini di non dubbia competenza, dopo matura considerazione, di Nostro *Motu proprio* abbiamo ordinato ed ordiniamo quanto segue:

I. Nelle cause storiche dei Servi di Dio, dopo il processo informativo ordinario e la relativa ricerca degli scritti nei consueti modi, si ometteranno nel processo apostolico le parti suaccennate (vita, virtù, martirio, antico culto) sulle quali non si possano più raccogliere testimonianze contemporanee.

II. Le dette cause, per le parti indicate, saranno di competenza speciale di una « Sezione storica » che con questo Nostro *Motu proprio* intendiamo aggiungere ed aggiungiamo alle due già esistenti in seno alla Sacra Congregazione dei Riti.

III. Affinché la nuova Sezione possa debitamente soddisfare al suo compito:

1) sarà costituita, in numero competente, da Consultori specializzati nelle discipline e nelle ricerche storiche;

2) a capo di essa sarà un « Relatore generale » al quale incomberà la direzione dei lavori storici;

3) il Relatore generale, dopo la regolare apertura del processo informativo, ne esaminerà le parti di sua competenza, farà egli stesso od ordinerà le ulteriori ricerche che giudicherà necessarie, e richiederà alla Postulazione in originale od in copia autentica, tutti i documenti che riterrà opportuni, trasmettendo poi i documenti così raccolti ai Consultori della sua Sezione, che stimerà più idonei alle singole cause;

4) i voti dei detti Consultori con le conclusioni del Relatore generale saranno dal Relatore stesso consegnati all'Em.mo Prefetto della Congregazione e da questo al Promotore della Fede per il loro esame e le eventuali obiezioni e conclusioni;

5) i documenti e i voti di cui sopra serviranno di base e di punto di partenza ai voti dei Consultori della prima Sezione della Sacra Congregazione dei Riti;

6) ai Consultori della Sezione storica toccherà di rispondere alle obiezioni e domande del Promotore della Fede per le difficoltà comprese nell'ambito delle loro competenze;

7) sono comprese nelle attribuzioni della Sezione storica le indagini che occorressero per completare la ricerca dei documenti e degli scritti attinenti alle cause; per il loro esame dottrinale si procederà secondo le prescrizioni del *Cod. iur. can.* e la prassi in uso;

8) per evidenti ragioni di utilità la Sezione storica dovrà essere consultata per le riforme, emendazioni e nuove edizioni di testi e di libri liturgici.

Dal Vaticano, 6 febbraio 1930.

PIUS PP. XI

DOC. V.

PIUS XI. - Decretum S. Rituum Congregationis circa modum construendi Processus ordinarios si agatur de Causis « historicis ». - 4 I 1939.

AAS 31 (1939) 174-175.

Normae servandae
in construendis processibus ordinariis super Causis historicis

De Causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei admodum sollicitus, Ssmus D. N. Pius divina Providentia Papa XI, iudicialis formae veterem morem ac ordinem, in Causis historicis seu antiquis, renovandos censuit, praesertim circa ea quae ad probationes referuntur; quod opportune sanctum fuit per *Motu Proprio* diei 6 Februarii 1930. Ad praescripta idcirco Summi Pontificis rite exequenda, ipsa rerum natura suadente atque experientia duce, opus visum est necessarium congruas statuere normas fideliter servandas ad Processus Ordinarios in Causis historicis instituendos. Huius rei causa, Sacra haec Rituum Congregatio, pree oculis habens quae ad rem in Codice Iuris Canonici statuuntur, peculiares quae sequuntur addit normas:

1. - Antequam Processus instituatur, Ordinarius, auditio Fidei Promotore seu Fiscalis, Commissionem instituat trium membrorum, quorum peritia circa historicas methodos et circa archivales investigationes omnino sit probata. His competit « in solidum » officium colligendi omnes fontes scriptos.

circa vitam, virtutes vel matryrium, antiquam famam sanctitatis vel martyrii, aut antiquum cultum Servi Dei.

2. - Si Servus Dei ad aliquam religiosam Familiam pertinuerit, duo Commissionis membra eidem religiosae Familiae extranei esse debent.

3. - Qui sunt membra Commissionis induci debent uti « testes ex officio », tum in Processum super perquisitione scriptorum, in quo scripta Servi Dei quae suis investigationibus ipsi invenerint deponent, tum in Processum super fama sanctitatis, virtutum vel martyrii et miraculorum. In hoc altero Processu iisdem erit enumerare ac describere singillatim quas ipsi peregerint investigationes. Praeterea sub sanctitate iuramenti declarare debent: 1^o omnes investigationes peregisse ac omnia collegisse quae ad Servum Dei quomodocumque referri possint; 2^o nullum documentum aut textum adulterasse vel mutilasse. Iidem vero testes interrogandi quoque sunt circa authenticitatem et valorem singulorum documentorum vel textuum allatorum.

4. - Documenta et testimonia scripta, in praedicta investigatione collecta, inseri debent in Processum, aut in originali, aut in originalis copia photographice expressa, aut in exemplo authenticè recognito.

5. - Testes omnes, in responsionibus ad interrogatoria et ad articulos circa vitam, virtutes, antiquam famam sanctitatis vel martyrii, aut antiquum cultum, omnes illas notitias omittant, quae ipsis ex lectione tantum testimoniorum scriptorum innotuerunt.

Has normas, Ssmus D. N. Pius Papa XI, in audience infrascripto Cardinali S. R. C. Praefecto die 4 Ianuarii 1939 concessa, ratas habuit et ab omnibus quos spectat servandas omnino praescripsit. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Romae, die 4 Ianuarii 1939.

C. Card. SALOTTI, *Praefectus.*

L.  S.

A. Carinci, *Secretarius..*

APPENDIX II

BIBLIOGRAPHIA SELECTA ET NOTIS REFERTA

Nemo praetendet a nobis bibliographiam completam circa varias res quas tractavimus vel saltem universe significavimus; sufficiat bibliographia « selecta », quamvis selectio quidem opportuna non sit facilis. Continemus nos paucioribus nominibus ac titulis maioris ponderis vel utilitatis, his recentioribus temporibus pervulgatis.

Addidimus brevia verba ut peculiare momentum singulorum operum vel libellorum aut articulorum quodammodo explicaremus. Insuper non pauci auctores, secundum consuetudines et normas scientiae cui servient, peculiarem praebent bibliographiam, quam iterum excerpere supervacaneum fuisset. Ordo bibliographiae est chronologicus, iuxta annum editionis.

1929. - *Codex pro Postulatoribus⁴*, Roma, apud Postulationem generalem OFM, [1929].

Liber notissimus atque utilissimus, primum editus ab advocate S. Rituum Congr. L. LAURI, 1879, secundo a notario ecclesiastico G. FORNARI,

1909, tertio a Postulatione OFM, 1923, et quarto a R.mo P.A.M. SANTARELLI, Postulatori gen.li OFM, 1929. Dolendum tamen, inde a 30 annis librum non esse amplius recognitum; ita ut non pauca desint, quae hodie in iure et praxi Causarum necessaria sunt. Est liber — uti titulus prodit — qui Postulatoribus Causarum (atque sodalibus tribunalium dioecesum) normas et formulas in construendis Processibus occurrentes commode praebet.

1932. - Iosephus NOVAL OP, *Commentarium Codicis Iuris Canonici*, Lib. IV *De Processibus*, II *De Causis Beatificationis Servorum Dei et Canonizationis Beatorum*; Torino, Marietti, 1932.

Inter tractatus circa Causas Beatificationis et Canonizationis ille P.is Noval (iam defuncti) propter amplitudinem et soliditatem doctrinae eminent. Magnum Benedicti XIV opus de dictis Causis quasi fundamentum est, super quod auctor expositionem suam canonicae aequae ac practicam exstruit. Valde dolendum, neminem de opere tanto opportuno iterum recognoscendo pensasse. De nova Sectione Historica (opus est ex an. 1932) apprime agitur.

1933 (1). - Hilarin FELDER OFMCap, *Die Antoniuswunder nach den älteren Quellen untersucht*; Paderborn, Schöningh, 1933.

Clar.mus auctor (iam defunctus) demonstrat, S.um Antonium Paduanum in vita sua non operasse miracula; tantummodo post mortem, at multa et speciosa. Vi processus cuiusdam psychologici popularis mox etiam vita Sancti miraculis (inventis) exornari coepit. Id ex Processibus Canonizationis aliisque scriptis (biographiis antiquis etc.) clare appareat. Exemplum habetur « retro-actionis », quae in aliis casibus Sanctorum sive Servorum Dei non-numquam observari potest.

1933 (2). - Rudolf HOFMANN, *Die heroische Tugend. Geschichte und Inhalt eines theologischen Begriffes*; München, Kösel-Pustet, 1933. = *Münchener Studien zur historischen Theologie* N° 12.

De virtute heroica — quod ad eius studium in Causis Servorum Dei attinet — variae observationes et indicationes utiles habentur. Ceterum opus est magis abstractum et philosophico-theologicum.

1934. - *Come si fanno i Santi.*

1) Mons. G.B. DELLA CIOPPA; Roma, Ferrari, 1934.

2) Fr. LEONE di Maria; in *Sussidi per la riflessione e il Catechismo*, 1949 (fasc. I/II), et uti excerptum (pp. 6).

Causarum advocatus Mons. Della Cioppa et Postulator gen.lis Fratrum Scholarum christianarum Fr. Leo, sub eodem titulo, subsequentibus annis, « popularem », quam vocant, descriptionem ediderunt de modo quo quis « sanctus » fit, i.e. quomodo Causae Canonizationis pertractentur. Optimus modus (delineationibus captu facilimis adiectis) pro divulgatione inter fideles machinosi instructus harum Causarum.

1935. - Ludovicus HERTLING SJ, *Materiali per la storia del processo di Canonizzazione*, in *Gregorianum* 16 (1935) 170-195.

Doctissimus Historiae ecclesiasticae professor in Pont. Universitate « Gregoriana » sub modesto titulo pretiosam frugem notitiarum circa initia et incrementa processuum canonicorum in Causis Beatificationis et Cano-

nizationis collegit. Nemo qui de hac re vel seipsum informare desiderat vel per alios scribere intendit, reperitorium hoc plenum et accurate compositum praeterire potest.

1938 (1). - Josef BROSCH, *Der Heiligsprechungsprozeß per viam cultus*; Roma, Univ. Gregoriana, 1938.

Ius et praxis canonica Causarum quae *per viam cultus* procedunt, exemplo Causae Beati Hermanni Joseph OPraem. demonstratur. Notetur tamen, illam Causam tunc non iam fuisse instructam. Hodie (1959) iam ab aliquibus annis absoluta est, quod ad partem Sectionis Historicae attinet. Demonstratio ex Causa iam absoluta certe magis perspicua esset.

1938 (2). - Stephanus KUTTNER, *La réserve papale du droit de canonisation*, in *Revue historique de droit français et étranger* 17 (1938) 172-228.

Commentatio haec inter raras illas connumeranda est publicationes, quae verum et proprium progressum in illa scientia significant, pro qua fecundanda scriptae sunt. In currente historiographia circa Causas Canonizationis necnon in expositione canonica eiusdem rei factum certum erat, reservationem iuris Canonizationis soli Summo Pontifici originem habuisse vi Decretalis « Audivimus » Alexandri III, ex an. 1170. Clar. mus auctor in suo studio demonstrat, quomodo ex longiore epistula Alexandri III (6 VII 1170) ad Canutum I, regem Sueciae (Sverige, Schweden, Svezia), in qua, versus finem, dispositio particularis Alexandri III in casu cuiusdam hominis in statu ebrietatis trucidati et a quibusdam ut martyr venerati, postea a canonicis excerpta et adaptata, pedetentim lex generalis statuebatur qua canonizatio uni Summo Pontifici reservabatur. Alexander, de casu peculiari interrogatus, responsum particulare dedit, affirmans, virum non potuisse uti martyrem venerari absque « auctoritate Romanae Ecclesiae ». Ex quo tandem excerptum « Audivimus » in forma Decretalis in collectione officiali, a S.o Raimundo da Peñafort, iubente Gregorio IX, sub die 5 IX 1234 receptum fuit et cum tota collectione vim legis universalis adeptum est, revera reservatio papalis Canonizationis canonice initium habuit, quamquam etiam post promulgata Decretalia certum tempus defluxit, usque in universa Ecclesia leges illae de facto receptae sunt. Haec omnia, documentis rite collectis et docte interpretatis, ab auctore succulenter probantur. Dispositio ergo Codicis Iuris Canonici, qui in can. 2125 § 1 statuit, approbationem cultus antiqui exsistentis iure peti posse pro Servis Dei « qui post Pontificatum Alexandri III » et ante tempus a constitutione Urbaniana (Urban. VIII, 1634) cultum rite acquisiverunt, corrigenda esset, initium reservationis papalis a morte Alexandri III (30 VIII 1181) transponendo ad an. 1234.

Nova haec notio, utpote tempore magnae perturbationis politicae an. 1938 publicatae, nondum adeo universim cognita est, uti decuisset.

1942. - Raoul NAZ, *Causes de béatification et de canonization*, in *Dictionnaire de Droit Canonique* (ed. R. NAZ) III, Paris, 1942, 10-37.

Expositio summaria, at accurata pertractationis Causarum Beatificationis et Canonizationis; de Causis historicis tamen descriptio desideratur.

1944. - Salvatore INDELICATO, *Le basi giuridiche del Processo di Beatificazione. Dottrina e Giurisprudenza intorno all'introduzione delle Cause dei Servi di Dio*; Roma, Officium libri catholici, 1944.

IDE^M, *Il Processo Apostolico di Beatificazione*; Roma, « Scientia catholica », 1945.

Auctor (iam defunctus) apud Sectionem primam seu theologicam S. Rituum Congregationis ut « adiutor a studiis » per annos servitium praestabat, ita ut ex certa quadam plenitudine experientiae ius simul ac proxim apud Dicasterium vigentes describere potuit. Doctrina exemplis illustratur et ius abstractum practica applicatione explanatur.

1945 (1). - Alois MAGER OSB, *Mystik als seelische Wirklichkeit. Eine Psychologie der Mystik*; Salzburg-Graz, Ant. Pustet, 1945.

Magnum opus, docti auctoris (iam defuncti) impensisimorum studiorum fructus, fundatum praecipue super doctrinam mysticorum Hispaniae (S. Ioannis a Cruce, S. Teresiae), in quo feliciter iunguntur cum soliditate eruditio- nis catholicae cognitio psychologiae modernae, sine qua hodie nemo audebit investigare et diudicare vitam Sanctorum aut Servorum Dei. In adnotationibus in fine libri datis multae indicationes bibliographcae.

1945. (2). - Gerda WALThER, *Phänomenologie der Mystik*; Olten, Walter- Verlag, 1945.

Opus a viris peritis qui libri censuram scripserunt, valde laudatum.

1948. - C. de CLERCQ, *Des causes de béatification et de canonisation*, in *Traité de Droit Canonique*, ed. Raoul NAZ, Vol. IV *Des procès, des délits, des peines*, Paris 1948, 465-534.

Tractatus circa Causas Beatificationis et Canonizationis, mere canonicus. De parte historica parum habet.

1949 (1). - Josef GOLDBRUNNER, *Heiligkeit und Gesundheit*²; Freiburg/Brsg., Herder, 1949.

Ennarratio typis impressa, quae varias animadversiones notatu dignas praebet; in notis invenitur bibliographia selecta.

1949 (2). - P. IOANNES a Iesu Maria OCD, *Sermonum Summaria ac Documenta. Vice-Postulatorum Congressus Romae celebratus a.D. 1949*; Roma, Postulazione gen.le OCD, [1949]. Pro manuscripto.

Strenuus Ordinis Carmelitarum discalceatorum Postulator gen.lis an. 1949 Romae coadunavit Vicepostulatores Ordinis ad tenendum Congressum circa summam quaestionum quae in parandis Causis faciliter obveniunt; ad verba facienda invitavit oratores peritiores in re. Sermonum brevem summam magna cum communis utilitate typis scribere fecit et documenta recentiora qua- dam Sacrae Congregationis Rituum adiecit. Fasciculus mole parvus, pondere rerum gravis.

1949 (3). - Josef LÖW, *Die Kanonisationen des Heiligen Jahres*, in « Ohne Gott-Ohne Glück » Anno Santo 1950; Innsbruck, Wagner, 1949; 56-71.

Brevis ac « popularis » expositio originis cultus Sanctorum et instruc- tus processualis, necnon pauca de Sanctis, in an. « santo » 1950 canonizandis.

IDE^M, *Beatificazione. II La B. nella Storia*, in *Enciclopedia Cattolica II*, Città del Vaticano [1949], 1096-1100.
Historia « Beatificationis » et tabula Beatificationum.

1950 (1). - Eduard EICHMANN - Klaus MÖRSDORF, *Lehrbuch des Kirchenrechts auf Grund des Codex Iuris Canonici*⁸ III; Paderborn, Schöningh, 1950; 252-267: *Der Selig- und Heiligsprechungsprozeß. Überblick.*

Ipse clar. mus auctor hunc tractatum de Causis Beatificationis et Canonizationis « Überblick » vocat (« Conspectus »). Certum est ad conscribendum tractatum perfectum et ex omni parte absolutum, necesse esse intimam cognitionem non canonum tantum, sed vel maxime sic dicti « stili » seu praxis Dicasterii; at circa Causas Servorum Dei non sunt multi qui sibi hanc cognitionem secretiorem acquisiverunt.

1950 (2). - François LEURET - Henri BON, *Les guérisons miraculeuses modernes*; Paris, Presses Univ. de France, [1950]. = *Bibliothèque médecine catholique*. - Versio in linguam germanicam: *Wunder, Wissenschaft und Kirche. Wunderbare Heilungen der neueren Zeit*; Wien, Herder, 1957. - Versionem fecit Franz v. WIMMER.

Auctores sunt periti « specialisti », in officio medicorum in Lourdes apprime exculti ac in argomento versatissimi. Inter multa alia significanda sunt capitula quibus agitur de S. Rituum Congregatione et de miraculis pro Canonizationibus approbatis. Consideratione dignum caput de aetiologya et psychologia miraculorum.

1950 (3). - Giuseppe Löw, *Canonizzazione. II La C. nella Storia*, in *Encyclopédia Cattolica* III, Città del Vaticano [1950], 571-607.

Descriptio originis et incrementi cultus Sanctorum atque formarum ac rituum quibus eorum cultus ab Ecclesia legitime recognoscetur. Tabulae Canonizationum. Amplissima bibliographia selecta.

1952 (1). - Jean LHERMITTE, *Mystiques et faux mystiques*; Paris, Bloud et Gay, 1952. - Versio in lingua germanicam: *Echte und falsche Mystiker* (Oswalt NOSTITZ); Luzern, Räber & Cie, 1953. - Versio in linguam italicam: *Mistici e falsi mistici*; Milano, « Vita e pensiero », 1955.

Auctor, medicus « specialista » in re psychologica et scientiis adnexis et connexis, socius « Académie nationale de Médecine » in Paris, per plurimos annos cum editoribus publicationis *Études carmélitaines* (vide huius bibliographiae ultimam indicationem) intime sociatus in indagationibus peculiaribus scientiarum supra nominatarum, praeter studia et articulos peculiares non paucas, hunc edidit librum, plenum materiae utilissimae ad cognoscenda e dignoscenda phaenomena mystica et paramystica quae non raro etiam in Sanctis, et in Deo devotis personis observantur, et de quarum natura saepius per difficile est iudicium rectum dare. Omnes qui sive ut biographi, sive ut Postulatores, vel alio titulo cum Servis Dei beatificandis, vel cum Beatis aut Sanctis occupantur, hunc aliasque libros et studia argumentorum similium attente studere debent, ne facili subiaceant errori.

1952 (2). - Herbert THURSTON SJ, *Physical Phenomena of Mysticism*; London, Burns & Oates, 1952. - Versio in linguam germanicam: *Die körperlichen Begleiterscheinungen der Mystik*; Luzern, Räber & Cie, 1956.

IDE^M, *Surprising Mystics*; London, Burns & Oates, 1953.

Notus auctor (iam defunctus) cuius scripta magna ex parte a P. Crehan SJ eduntur, propter specialissimam quam sibi acquisierat cognitionem ex

continua multissimorum annorum cum biographiis Sanctorum Servorumque Dei necessitudine, silvam rerum sibi comparaverat circa phaenomena mystica omnis generis, verae et effectae, christianaæ et profanae, experimentalis quam dicunt et primitivæ, ita ut in his rebus describendis et diiudicandis peritisimus habendus sit.

Cfr etiam *Analecta Bollandiana* 72 (1954) 259-260; et 74 (1956) 291-283, ubi de his libris exhibetur censura laudabilis.

1953. - Suso MAVER OSB, *Neueste Kirchenrechts-Sammlung*; Freiburg/Brsg., Herder, I (an. 1917-1929) 1953; II (an. 1930-1939) 1954; III (an. 1940-1949) 1955.

Opus sane magnæ utilitatis. De rebus ad Causas Sanctorum pertinentibus passim habentur notitiae (vide Indicem operis, seu singulorum tomiuum); de Sectione Historica notitiae absque ullo commento.

1954. - Stephanus SIPOS, *Enchiridion Iuris Canonici*⁶, cura Ladislai GÁLOS; Roma, « Orbis catholicus », 1954; 591-594: *De beatificatione et canonizatione* (sub titulo generali: *De cultu Sanctorum*).

Expositio sat brevis et arida.

1955 (1). - Josef LöW, *Bemerkungen zu den Selig- und Heiligsprechungen*, in *Theologisch-Praktische Quartalschrift* (Linz) 103 (1955) 91-102.

Occasione anni marialis, certo numero Canonizationum exornato, praesentantur notae aliquae criticae ad pellendas varias obiectiones contra percrebcentem numerum novorum Sanctorum et Beatorum his recentibus temporibus ad gloriam altarium evectorum. Quaestio quoque Summorum Pontificum « Sanctorum » historice illustratur.

1955 (2). - Willibald M. PLÖCHL, *Geschichte des Kirchenrechts* II (1055-1517); Wien-München, Herold, [1955]; 321-324: *Kanonisations- oder Heiligsprechungsprozeß*.

Brevis, sed accurata historica expositio de origine iuris pontificii circa Causas Sanctorum, in qua etiam novae notiones, quae D.no Kuttner debentur, aequo proponuntur.

1956. - Josef NUTTIN, *Psychoanalyse und Persönlichkeit*; Freiburg/Schw., Universitätsverlag, 1956. = *Arbeiten zur Psychologie, Pädagogik und Heilpädagogik* N° 10.

Notetur, opus exisse primum in versione neerlandica (1949; 2 ed. 1952), deinde in versione francogallica (1950; 2 ed. 1955), in versione anglica (New York 1953, London 1954) et italica (1953), ac denique, iuxta 2^{am} ed. franco-gallicam, etiam in lingua germanica, operâ nostri P. is Aloisii Guggenberger (Gars am Inn). In appendice exhibetur textus magnæ allocationis Summi Pontificis Pii XII o.m. diei 13 IV 1953 ad illos qui Congressui pro Psychotherapy et Psychologia clinica participarunt (textus originalis francogallicus et versio germanica).

De utilitate huius libri pro omnibus qui studia sua ad penetrandam animam Servi Dei aut Sancti (vel cuiuscumque hominis) dirigere debent, non est necesse ne verbum quidem perdere. Sequitur bibliographia methodica selectissimā, pp. 310-328.

1957. - Gustav MENSCHING, *Das Wunder im Glauben und Aberglauben der Völker*; Leiden, Brill, 1957.

Auctor, nec catholicus nec catholicismo amicus, in re tamen (ut non paucae aliae lucubrationes eiusdem generis indicant) versatus est; nec sine fructu est, noscere etiam expositiones et observationes atque explicaciones quas de miris in genere et de miraculis in specie a non catholicis dantur.

1958 (1). - Antonius CRNICA OFM, *De Canonizatione aequipollente in favorem B. Nicolai Tavelič Ord. Min., Martyris Hierosolymitani ex an. 1391*; Šibenik 1958, pro manuscripto, pp. 70.

Sollers Causae Beati Nicolai Tavelič postulator hunc paravit tractatum, quo demonstrare contendit, hunc beatum Martyrem franciscanum meruisse, extra viam iuris, scilicet per « Canonizationem aequipollentem », brevi manu a Summo Pontifice faciendam, ad fastigium glorificationis esse evectum. Circa nonnulla quae sedulus auctor circa institutum sic dictae « Canonizationis aequipollentis » protulit, fortasse quaedam obicienda essent.

1958 (2). - Karl RAHNER SI - Th. BAUMANN SI, *Visionen und Prophezeiungen*²; Freiburg/Brsg., Herder, 1958. = *Quaestiones disputatae N° 4*.

Exagitatis nostris temporibus impetus quidam seu animi cupiditas inter multos homines exorta est, qua incensi, de visionibus, prophetiis, miraculis aliisque id genus avide inquirunt. Hinc optime fecit clar. mus autor, de visionibus et prophetiis sanam exponendo doctrinam Ecclesiae. Quisque de Causis Sanctorum (vel simpliciter de vita Servorum Dei) pluries occupatus est, bene noscit, quam urgenter aliquando quaestio de his rebus responsum, non semper facile, exquirat.

1958 (3). - Georg SIEGMUND, *Wunder. Eine Untersuchung über ihren Wirklichkeitswert*; Berlin, Morus-Verlag, [1958].

Notus theologus in hoc libro, naturā suā — uti dici solet — « scientifico-evulgativo », de veritate miraculorum agit et de fine, ob quem a Deo Creatore efficiuntur. Quaestio de natura et possibiliitate miraculorum absque fundamento Fidei numquam recte solvi potest.

1958 (4). - Cosmas PETERS OCarm., *Theresia von Lisieux in neuester Sicht*, in *Carmelus* 5 (1958) 269-290.

Evulgatio recens facta operum S. ae Teresiae a Iesu Infante in forma authentica, veritati scilicet scriptorum eius restituta (cfr. Sainte THÉRÈSE de l'Enfant Jésus, *Manuscrits autobiographiques*, Carmel de Lisieux [1957], opus deductum ex editione critica qua textus manuscriptorum uti iacent editi sunt: *Manuscrits autobiographiques de Sainte Thérèse de l'Enfant Jésus*, Office Central de Lisieux, avril 1956, 3 volumina), quaestiones varias circa hanc Sanctam, eius vitae rationem, eius indolem et psychologiam suscitarerunt, ita ut numerosae de his rebus editae fuerint publicationes minores et maiores.

R. mus Peters, in laudando articulo supra nominato, brevem proponit conspectum de summa scriptorum maioris momenti, quae circa S. am Teresiam recentissime prodierunt. Quicumque studium peculiare in penetrandū animum Sanctorum praecipue dirigere coactus est, ex hac visione generali — vel, si velis, « revisione » — magnam utilitatem capiet.

1959 (1). - PIUS XII [Nel bicentenario di un grande Legislatore] (Sintesi storica), in *La figura e l'opera di Benedetto XIV*; Bologna, Tamari, 1959 (curâ Postulationis gen.li OP).

Cum de honorando Summo Pontifice Benedicto XIV, occasione bis centum annorum ab eius morte defluxorum, ageretur, ipse tunc regnans Summus Pontifex Pius XII o.m. benevolentissime obtulit se audientiam solemnam concedere velle toti Sacrae Rituum Congregationi, cum omnibus quomodocumque ad eam et eius actuositatem pertinentibus, in qua Ipse haberet sermonem commemorativum, quam etiam parare coepit, more suo, longo antea tempore sibi ab archivio Congregationis adductis voluminibus aliisque documentis ac libris, ad investigandum personaliter figuram et opus Benedicti XIV. Papa morte praevento, audientia non amplius potuit haberi, sed sermo quasi perfectus inter scripta relictâ inventus et die 9 IV 1959, in folio quotidie in aedibus Vaticanis impresso *L'Osservatore Romano*, in lumen est editus. Cum vero solemnia recordationis Benedicti XIV Romae non iam potuerint haberi, a Postulatione gen.li OP, merito et studio R.mi P.is Piccari, praesidis dictae Postulationis, in urbe Bologna die 18 IV 1959 magna dignissimaque amplitudine celebrata sunt.

Hac occasione libellus publicatus est, in quo, primo loco, sermo Pii PP. XII iam recordatus iterum impressus et divulgatus est (pp. 9-32). Praeter ea quae Pius XII de praedecessore Benedicto XIV luculenter exponit, iure merito attentionem in se compellunt quae de recognoscendis in praxi Congregationis quibusdam modalitatibus pertractationis proponit.

1959 (2). - Luigi CIAPPI OP, *Il concetto della santità in S. Tommaso d'Aquino e in Benedetto XIV*, in *La figura e l'opera di Benedetto XIV*, Bologna 1959, 35-57.

Sacri Palatii Magister, R.mus P. Ciappi, solemnem habuit sermonem in celebrationibus Benedicto XIV dicatis, occasione bicentenarii ab eius obitu, quae in urbe patria Prospieri Lambertini peractae sunt. Sicut sermonis inscriptio innuit, quaestionem tractabat summi momenti in Causis Servorum Dei, quaestionem scilicet de vera sanctitatis christiana natura seu de virtute heroica, quae est et manet fundamentum exaltationis Servorum Dei ad gloriam altarium. Doctus orator identitatem demonstravit — ad rei naturam pertinentem — notionis sanctitatis apud Doctorem angelicum, apud Summum Pontificem Benedictum XIV, « Magistrum » eximium, in omnibus quae ad Causas Servorum Dei attinet, et apud modernos quoque Rituum Dicasterii moderatores, prout in nonnullis recentioribus documentis aperte reperiri potest.

1959 (3). - Karl DEURINGER, *Die Beurteilung außergewöhnlicher mystischer Phänomene, beim heiligen Johannes vom Kreuz*, in *Geist und Leben, Zeitschrift für Aszese und Mystik* 32 (1959) 106-115.

Densi huius commentarioli auctor vehementer deplorat morbosam illam; hac nostra aetate, nimis diffusam inclinationem, non solum simplicium fidelium, sed etiam sacerdotum, captationem faciendi visionum, apparitionum, prophetiarum aliorumque similium phaenomenorum, de quibus qualemcumque notitiam avide quaerunt. Est signum instabilitatis mentium et timoris et angustiae quae tantorum hominum vitam afflidunt. S. Ioannes a Cruce, Sanctus, Doctor theologiae mysticae, ipse mysticarum gratiarum particeps, de

his rebus severe iudicat. Numerosa excerpta ex operibus Sancti de vera et authentica mystica doctrinam sinceram praebent. Deplorat etiam idem auctor habitudinem illam, aetate quam « baroccum » vocant nimis excultam, vi cuius hagiographi in biographiis Sanctorum aut Servorum Dei de similibus rebus absque criterio et in mensura superabundante scripserint, ita ut figura sanctitatis verae saepius fidelibus deformata praesentetur.

1959 (4). - Eduardus DHARIS SI, *Qu'est-ce qu'un miracle*, in *Gregorianum* 40 (1959) 201-241.

Disquisitiones et disputationes circa miracula recentioribus temporibus magnum habuerunt incrementum, quod explicatur partim ex modernis quibusdam sive ex philosophicis, sive ex scientiis naturalibus haustis principiis, partim ex generali hominum nostrae aetatis inclinatione, phaenomena « supernaturalia » per viam cognitionis naturalis praecipue seu per rationem tantum enucleandi. Cum quaestio miraculorum in pertractatione Causarum magnum habeat momentum, indagationes theologicas-philosophicas series circa hanc quaestionem omnes quibus interest, attente prosequi debent.

1959 (5). - Zsolt ARADI, *Wunder, Visionen und Magie*; Salzburg, Otto Müller, 1959.


Inde a miris quae in Antiquo Testamento narrantur, usque ad miracula quae nostris temporibus accidisse exhibentur, cl. auctor indagationem suam extendit. Est liber « divulgationis », sed serietate scientifica compositus; stilo facili attrahit et delectat, attamen lectori solidam praebet expositionem, ita Fidei ut rerum naturalium et psychologicarum cognitione fundatam. - Liber editiones habet simul in America, in Magna Britannia, in Italia et in Hispania.

1959. (6). - *Etudes carmélitaines*; Paris, Desclée de Brouwer et Cie, 1911 ss.

Inde ab an. 1911 exierunt E.C. in forma folii periodici, cum hoc titulo secundario: *E.C. historiques et critiques sur les traditions, les priviléges et la tradition de l'Ordre*. (Ratione primi conflicti mondialis folium non exivit 1915-1919). - Ab an. 1931 titulus secundarius sic mutatus est: *E.C. mystiques et missionnaires*. Inde ab an. 1935 cuivis fasciculo thema quoddam peculiare assignatum est. Apparuit etiam aliquando alias titulus secundarius, nempe: *E.C. Revue de psychologie religieuse*, quo meliori modo linea indicabatur, quam editores periodici proprius sequi intendebant (1940-1945 alter conflictus mondialis novam imposuit periodici suspensionem). Ab an. 1946 periodicum apparuit iterum, sed absque titulo secundario, et an. 1947 mutatum est in seriem publicationum absque fixo termine editionis, in forma librorum qui singulis thematibus dedicantur. Praevalet studium theologiae mysticae, praferendo indagationes psychologicas phaenomenorum mysticorum, et paramysticorum. Nemo non videt maximam horum studiorum utilitatem. In hac sede indicem particularem praesentare non possumus; sufficiat hanc seriem studiorum summi momenti pro cognitione vitae mysticae, verae et falsae, cum vasto et complexo rerum connexarum apparatu, enixe commendare. Cfr etiam Enrico RAVERA, *Etudes carmélitaines*, in *Encyclopédia Cattolica* V [1950] 738.

Laudibilissimam hanc publicationum seriem ultimo loco posuimus, cum adhuc publicetur, et ut digne selecta haec nostra bibliographia claudatur.

COMMUNICATIONES
NOTITIAE CHRONICALES
NOTITIAE BIBLIOGRAPHICAE



COMMUNICATIONES

RAYMUNDUS TELLERÍA

TRIPLEX EXERCITIORUM SPIRITALIUM SCHEMA ANTE OPUS ALFONSIANUM « SELVA... PER DAR GLI ESERCIZI AI PRETI »

Quoniam anno proximo 1960 redit annus ducentesimus ab illo, quo S. Alfonsus publici iuris fecit opus suum *Selva di materie predicabili ed istruttive per dar gli Esercizi ai Preti ed anche per uso di lezione privata a proprio profitto*, prae vulgare hodie intendimus triplex Exercitiorum schema, quale ab his compositum cernitur in quorum societate atque amicitia S. Alfonsus vitam ecclesiasticam egit. Saepe enim hodierni Exercitiorum cultores atque historici sibi fingunt Exercitiorum schema « chemice purum » (sic ipsi loquuti sunt), quale a Rev.mo P. Roothaan pro renata Societate Iesu recusum fuit. Aliter tamen ante Societatis Iesu suppressionem Exercitiorum institutio procedebat, si non semper et ubique, at saltem in regno neapolitano ac pro eiusdem ecclesiasticis viris, quorum decus atque archetypus aestimatur S. Alfonsus.

Nolumus im Praesentiarum totius quaestionis amplitudinem atque elementa historica undequaque cingere, sed duos tresve casus singulos dumtaxat adferre eosque ex oblio archivi fonte producere: quibus perpensis, clavis nobis porrigitur ad iustum schematis alfonsiani interpretationem.

Exercitiorum ante sacros ordines obligatio, ab Innocentio XI die 9 octobris an. 1682 promulgata, ita Concilio Provinciali Neapolitano an. 1699 incorporata mansit, ut ordines quoque minores complecteretur et decem dies recollectionis imponeret (1). Hanc Exercitiorum legem, nedum emollient, urgere perrexerunt neapolitani archiepiscopi eamque iam pridem opportunis edictis sanctitam adnectere mox curarunt capiti « de vita et honestate clericorum » intra Synodum diocesanam mensis iunii an. 1726: cuius Synodi processioni solemni initiali adstiterunt seminaristae, et cum ipsis valde probabiliter S. Alfonsus eo tempore diaconus. Ad rem itaque nostram edixit S. Synodus:

(1) Concilium Provinciale Neapolitanum ab Em.mo D. Jacobo Card. Cantelmo celebratum an. 1699, Romae 1700, 66: « Ad maiores ordines nemo promoveatur nisi prius in religiosa aliqua domo ab Ordinario designanda per decem dies Spiritualibus Exercitiis vacaverit, iuxta Encyclicas Litteras datas die 9 octobris 1682 mandato fr. Innocentii XI ac in eadem domo diu noctisque commoratus fuerit ». - Item p. 266: « La Santità di Nostro Signore... vuole e comanda che tutti li promovendi sì agli Ordini Minori come Sagri devano per dieci giorni continui avanti l'ordinazione ritirarsi a fare gl'Esercizi Spirituali » (p. 266).

I. - Clemens PP. XI praecepit [*die 1 februarii an. 1710*] omnibus animarum rectoribus, confessariis, canonicis, beneficiatis aliisque sacerdotibus et clericis, ut quotannis in domibus Societatis Iesu vel Sacerdotum Missionis per dies decem Spiritualibus Exercitiis operam darent... Nosque... speciali edicto die 16 februarii an. 1710 multa statuimus... ad faciliorem pro omnibus praxim...: quae hic confirmata... iterum volumus.

II. - Praesertim vero non omittant parochi et ipsi interesse, et presbyters ac clericos paroeciae suae hortari ad Exercitia, quae pro clero in nostra Cathedrali quotannis sunt mense octobri...: quibus quidem Exercitiis si omnibus turpe est non adese, turpissimum erit clero eiusdem Cathedralis: qua propter eos praesertim hortamur, ut frequentes ad ea convenire non negligant, quibus Nos etiam non raro intersumus gravioribus curis non occupati (2).

Instantia porro atque severa haec verba, quibus ab Em.mo Card. Pignatelli premebantur ad peragenda Exercitia viri ecclesiastici, etiam proceres, significare videntur non defuisse alios collegas edictorum oblivious aut neglectores. Quo difficilium Exercitorum praeteritionem excusarent, tria loca seu sedes ad recollectionem instructae clericis a S. Synodo proponebantur, scilicet domus PP. Lazaristarum, collegium Societatis Iesu et Sodalitium Missionum Apostolicarum. Elenchus hic non erat numerus clausus, sed utique « praefentialis », quoniam illis solummodo deficientibus concedebat edictum die 16 februarii an. 1710, ut exercitantes in aliam communitatem observantem sese recipieren, praehabita Em.mi Cardinalis approbatione (3). Enimvero, ut ceteras familias religiosas omittamus, unam seligimus Congregationem Piorum Operariorum a Ven. Carolo Carafa an. 1607 fundatam, qua opitulante ac duce vigebat et florebat Sodalitas presbyterorum saecularium sub titulo S. Mariae Puritatis, cuius membra Exercitiis spiritualibus vacabant in proprio sacello ad S. Gregorii Maioris (4).

(2) *Synodus Dioecesana ab Em.mo Card. D. Francesco Pignatelli celebrata an. 1726, Romae 1726, 150-156, nn. 1-2.* - Verba ultima Em.mi Archipraesulis, quibus se interfuisse asserit huiusmodi Exercitiis, veritate fortassis nituntur si praecedenti tempori applicantur. Ab anno autem 1724 et deinceps Regestum archivi semel dumtaxat describit Archiepiscopi präsentiam, anno scilicet 1732, quo S. Alfonsus Exercitia praedicavit.

(3) *Ibid.*, Appendix XXVII, 272-274: « In una casa religiosa osservante da approvarsi prima per Noi ».

(4) Hoc Sodalitium, vi edicti archiepiscopalii promulgati die 9 septembribus an. 1721, gaudebat pleno iure, aequo ac ceterae ecclesiasticae Sodalitates, excipiendi ordinandos singulis hebdomadis ad eorum educationem spiritualem et apostolica foyendam: « Comandiamo che uno giorno della settimana vadano continuamente in una delle congregazioni di ecclesiastici, a loro elezione, o del Pavone, o di S. Giorgio, o della nostra Cattedrale..., con portarne attestato della frequenza » (*Ibid.* 270, n. XIII). Pro Sodalitatis membris, eiusdem Statuta canonice approbata praecepient: « 18. Semel in anno Spiritualia Exercitia per dies octo ab unoquoque fiant: et semel in mense diem quisque eligat, quo ab omni implicamento expeditus Deo totus vacet et de rebus animae sua cum Deo agat. - 19. Semel etiam in anno per dies tres fiat renovatio spiritus, idque antequam ad Missiones proficiscantur » (*Statuta et Regulae Congnis Presbyt. Saecularium sub titlo S. Mariae Puritatis*, erectae Neapoli sub directione RR.PP. Piorum Operariorum, approbatae et confirmatae a SS.D.N. Clemente Papa XI, Romae 1709, *Regulae communes*). - Titulus S. Mariae Puritatis » vertitur in instrumentis notariorum: « Nostra Signora della Purificazione ». Traditionis ignatianae inter Pios Operarios testes insigniores sunt quoad exercitia spiritualia PP. Ludovicus Sabbatini et Ruggieri, quorum opera ab ecclesiasticis magni aestimata extra scopum nostrum manent.

Pro scopo autem hodiernae nostrae communicationis, breviter immorabitur in tribus memoratis Exercitiorum domibus a S. Synodo praestitutis.

I. - DOMUS SACERDOTUM MISSIONIS

His verbis proponit Synodus egregium renovationis ecclesiasticae centrum, quod ab an. 1669 discipuli S. Vincentii a Paulo, seu PP. Lazaristae, exercent extra portam S. Ianuarii, prope ecclesiam paroecialem S. Mariae « dei Vergini ». Prout Instituti sui ratio exigebat, toto nisu operam navabant Missionarii, ut clericorum necessitatibus spiritualibus subvenirent. Idcirco Card. archiepiscopus Cantelmi in sua ad S. Concilii Relatione an. 1700 rescripsit: « Promovendi ad sacros ordines vacant per decem dies ante ordinationem exercititis spiritualibus in domo PP. Missionis ibique, impensis meis ne ulla graventur ratione, diu noctuque morantur, prout eadem exercitia fiunt ab omnibus, qui in confessarios, parochos et coadiutores assumuntur » (5). Ex edicto Card. archiepiscopi Pignatelli, die 9 septembbris an. 1721 dato, clericu seu seminaristae externi subiacuerunt strictiori legi: « Niuno tonsurando, ovvero ordinando, sarà ammesso alla tonsura chiericale nè agli altri ordini, se non sarà intervenuto, e con tutta la modestia, ogni domenica mattina alla Congregazione degli ordinandi nella Casa della Missione nella parrocchia delle Vergini, e ivi esercitato i suoi ordini e frequentato la S. Comunione, secondo le Costituzioni Sinodali: con portarne l'attestato del P. Superiore di detta Casa » (6).

Quod S. Alfonsum, « semel saltem in mense » (prout lex interpretationem practicam subiit), praedictis apud Lazaristas congressibus interfuerit, abunde constat ex Superioris testimoniis, quae ille ante singulos ordines in archiepiscopali Curia protulit. Minus vero liquet quando et quoties Exercitiis stricte spiritualibus vacavit, quandiu studiorum volvit programma, intra PP. Missionis claustra. Regestum namque exercitantium, pro viris laicis in missionis archivio neapolitano extans, nihil simile pro ecclesiasticis alumnis hucusque nobis transmisit. Quamobrem devinari potius cogimur horum Exercitiorum schema ex generali methodo a PP. Lazaristis alibi usitata, quam ex peculiari formula in collegio neapolitano conserta. Ut cumque res sit, S. Alfonsum diurna amicitia cum filiis S. Vincentii ligatus, non potuit quin animum converteret ad eorum exercitia spiritualia pro ecclesiasticis recusa, quippe qui semel atque iterum etiam exercitiorum cursum ibidem inter laicos viros ipse iunior frequentarat.

II. - EXERCITIA SPIRITALIA APUD MISSIONES APOSTOLICAS (7)

Aliam eamque potissimum Exercitiorum sedem praefixit ecclesiasticis S. Synodus, seu Em. mus Card. Pignatelli, ipsos arcens, ut quotannis mense octobri in ecclesia cathedrali metropolitana propriae conscientiae renova-

(5) *Concilium Provinciale Neapolitanum* 161, 243.

(6) *Synodus Dioecesana* 270, n. XIII. - Haec edicti clausula, nedum repudiet subsequentem de assistentia uni ex tribus Sodalitatis libere electo, eamdem confirmat, quatenus accessus ad PP. Lazaristas praescribitur pro diebus dominicis, ad Sodalitia vero pro alia die intra hebdomadam.

(7) De his Apostolicis Missionibus ac de huius Sodalitatis archivio necnon de Congregatione Patris Pavone tractamus ex professo ac sat diffuse in apposito articulo, quem proxime in nostra ephemeride vulgabimus.

tionem spiritualem instituerent. Agitur de Sodalitio seu, iuxta illius aevi loquendi modum, de « Congregatione Apostolicarum Missionum sub patrocinio S. Mariae Reginae Apostolorum in ecclesia cathedrali metropolitana erecta ». Illius sodales sive « fratres », clericorum saecularium nomine et re distincti, licet in sua quisque domo degentes, egredi nullatenus verebantur in regni provincias, quo Evangelii semina per pagos et oppida largius dispergerent. In urbe autem Neapolitana singulis annis gregem Christi advocabant eumque Missione generali intra metropolitanam ecclesiam aut apud magnificum Spiritus Sancti templum a peccatis abluere et in fide atque in vita christiana firmare satagebant.

Iam vero, Sodalitatis Regulae, canonica approbatione munitae, duplicum scopum apprime persequebantur, salutem nempe animarum ac Fratrum sanctificationem. Enimvero, non multo secus atque hodierna Instituta saeculalia, Congregatio Apostolicarum Missionum — votis quibuslibet exceptis — hierarchica organizatione florebat, institutione quasi novitiatus alebatur, diversis item mediis roborabatur, ut sive in disciplinis theologicis, sive in virtutum exercitio, sive denique in ministeriis apostolicis excellerent sodales. Exinde orti sunt congressus hebdomadarii mirifice per Regulas ordinati, exinde missionales excursus quotannis intra atque extra urbem peracti, exinde denique annua Exercitiorum Spiritualium praxis et lex nusquam derogata.

Exercitia porro Spiritualia, per octo dies continuos ducenda, quasdam notas speciales induebant. Quandoquidem Sodalitium a Superiore annuatim electo et ab Assistentibus regebatur, eisdem cura demandabatur praeelegendi, inter Fratres aetate, scientia atque fervore insigniores, quisnam pro anno sequenti Exercitiis praeficeretur: aliis verbis, cuinam deputarentur meditationes (« quinque quadrantes » non excedendo) habendae. Harum argumentum circum ea volvendum suadebatur, quae « ad statum clericalem pertinent », et signanter « de sacerdotali dignitate, de vocatione ad statum adeo praecellentem, de bonorum operum exemplo laicis praestando, de castitate custodienda, scientia, perseverantia rerumque temporalium curis abiiciendis, vel de adversantibus vitiis a sacris hominibus praecavendis ». Meditationem praecedebat alicuius libri pii lectio in communi, sequebatur autem singulis fere vesperis disciplica collectiva. Demum inter hos exercitiorum dies promulgari incipiebat Missio urbana per vicos et plateas.

III. - EXERCITIA SPIRITALIA IN DOMIBUS SOCIETATIS IESU

Denique praecitata Synodus proponit domos Societatis Iesu, ut in eisdem Exercitia peragant annuatim ecclesiastici neapolitani. Nostri muneris non est ad praesens scrutari, quot domos Patres Iesuitae huic apostolatui Neapoli destinassent (8), ac quo gradu et quanta fidelitate genuinae S. Ignatii

(8) *Catalogus provinciarum, domorum, collegiorum, seminariorum et missionum Societatis Iesu an. 1717*, Romae Plachi, accenset (p. 8) provinciae neapolitanae 22 collegia et 2 residentias, quibus accedunt pro urbe metropolitana 5 collegia necnon domus professa et domus probationis. Iisdem vero diebus opus Exercitiorum, in hospitio prope domum professam seu « Gesù Nuovo » pro viris praesertim secularibus aptatum, pro ecclesiasticis vero congregationi Patri Pavone adnexum, sedem propria ac magis consentaneam in quasi eremo amoenissimo seu collegio « alla Conocchia » invenit. Cfr M. ERICCHETTI SI, *Origini e vicende della Conocchia*, Napoli 1955, ubi trutina denuo repensatur (p. 10-11) quaestio de exercitiis a S. Alfonso iuniore peractis in Conocchiano collegio. In partem negativam ipse se inclinat, tum quia huius collegii nondum exstructi vices tenebat citatum hospitium

menti adhaerent. Magis confert pro Exercitiorum schemate mox citando, ut praemittamus quasdam notitias super Sodalitio seu Congregatione, cui in spiritu excolendae sese devoverunt ab anno 1607 S. Ignatii alumni, praeeunte illius fundatore P. Francisco Pavone. Ab origine vocabatur « Congregazione dei Chierici dell'Assunta », utpote quod eiusdem adscripti, opifitante B.M.V. in caelum Assumpta, nitebantur status ecclesiastici apicem assequi, tum quoad scientiam et virtutum exercitium, tum quoad apostolatum vere efficacem et quodammodo nationalem. Haec enim Sodalitas, praeter activitatem quam exserebat in ministeriis urbanis valde arduis, v.gr. apud regias triremes, atque in carceribus, extenderat actionis suae circuitum in plures regni provincias, ubi sodalitates filiales instituerat cum centrali neapolitana effective ligatas.

Huius Sodalitii, ad umbram ecclesiae cui nomen « Gesù Vecchio » nati et adulti, mens directiva ac motor indefessus erat « Pater », id est, S. Ignatii filius hoc intimo ac benevolo agnominé a sodalibus ornatus. Ipsius erat, qua Directoris et quin Praefecti et Assistentium iura calcaret, maxima vigilancia prospicere congregationis incremento et operariorum sanctificationi. Hunc in Sanctorum scientia progressum ipse fovere contendebat exhortationum ac colloquiorum ope, at praesertim vehiculo Exercitiorum spiritualium, quae tum per se ipse, tum per alios Societatis Iesu alumnos sodalibus offerebat.

Nullum huius Sodalitatis cum Missionibus Apostolicis dissidium quoad Exercitia spiritualia. Utrumque Sodalitium in proprio cuiusque catalogo recenset pro saeculo XVIII adscriptos 100, immo et 200, iis etiam inclusis qui extra urbem morabantur: in Exercitiis autem annuis de facto participes, saltem nominatim inscripti, sunt 60-100 pro Missionibus Apostolicis. Age vero: concordia practica inter utramque Sodalitatem efficiebat, ut Exercitorum cursus respectivus inter se differret quoad anni tempus, mense scilicet octobri apud Missiones Apostolicas, initio autem Adventus pro congregazione Patris Pavone: hinc laudabile factum, quod non semel in *Manuali* seu *Diario* seu *Giornale* harum Associationum legitur congressum sodalium hebdomadarium breviatum aut interruptum fuisse, ut adstantibus tempus et commodum praevererentur interveniendi Exercitiis spiritualibus, quae hebdomada illa apud alteram Sodalitatem fiebant. Hinc pariter fluit conclusio duplex: quod ex una parte plerique ecclesiastici neapolitani, aut saltē eorum pars conspicua, Exercitiis spiritualibus « clausis » (prout hodie intelliguntur) minime vacabat, quin hac agendi ratione statutis synodalibus contrairent; ex alia vero parte, quod praesupposita inter exercitantes « osmosi » nullum aut parvum discrimen ostenditur quoad Exercitiorum methodum in utroque Sodalitio. Hoc demum magis perspicuum redditur ex triplici Schemate, quod subdimus et pro cuius intelligentia praemissimus hucusque dicta.

penes « Gesù Nuovo », tum quia in coaevis Soc. Iesu catalogis desideratur nomen Patris Buglione, cui tanquam directori tribuuntur praesumpta a S. Alfonso iuniori peracta exercitia: idcirco in directoris munere ipse proponit P. Michaëlem A. Paglione. Quibus per transennam respondemus: a) nullatenus constare de aetate, qua S. Alfonsus talia exercitia subiit: dum enim P. Tannoia illum 18 annos natum dicit, alii 21 annos agentem inducunt; b) melius fortasse quam Patri Paglione aptari directionem Patri Thomae Boviglione, cuius ministeria spiritualia apud moniales SS. Conceptionis a Monte Calvario illa aetate probabantur (Arch. Curia, Moniales, SS. Concezione a Monte Calvario, Libretto per le licenze per li confessori straordinari). Res nihilominus sub iudice historiae anceps manet.

IV. - TRIPLEX EXERCITIORUM SCHEMA

A. - *Apud Missiones Apostolicas mense octobri an. 1724.* - Exercitiorum Schema exscribimus prout illud retulit secretarius in Sodalitii *Giornali*, vol. 36, f. 100-107. Adstantium numerus circa 50 quotidie notatur, praeter novitios. Conclaves seu Meditationes habuit canonicus Poliastro, tractans sequentia argumenta;

[*Giorno primo*] - Benefizji di Dio. Soggetto della Meditazione, diviso in tre punti:

- 1º. L'amor liberale di Dio per l'innalzamento del sacerdote.
- 2º. L'amor costante in eligger te fin dall'eternità nel sacerdozio.
- 3º. Come abbiam corrisposto a questi due grandi amori del Signore.

[*II Giorno*] - Peccato. Soggetto della Meditazione diviso in tre punti:

- 1º. Il sacerdote peccator odiato da Dio, perché l'offende con gran cognizione.
- 2º. Odiato, perché offende quel Dio che gli diè il sacerdozio.
- 3º. I danni che a se cagiona il peccato.

Sentimento di disciplina: Coppola.

[*III Giorno*] - Scandalo. Soggetto della Meditazione diviso in tre punti:

- 1º. Scandalo positivo facendo il male.
- 2º. Scandalo negativo lasciando il bene, o esservi negligente.
- 3º. Il gran danno che causerà a' sacerdoti di fare scandalo.

Sentimento di disciplina: Perrella.

[*IV Giorno*] - Giudizio del sacerdote. Soggetto della Meditazione diviso in tre punti:

- 1º. Giudizio quando Iddio si parte dall'anima.
- 2º. Giudizio quando 'anima si parte dal corpo.
- 3º. Giudizio quando l'anima s'unisce al corpo nella valle di Giosafat.

Sentimento di disciplina: Penta.

[*V Giorno*] - Risoluzione del sacerdote qual deve essere. Soggetto della Meditazione in tre punti:

- 1º. Deve essere generosa.
- 2º. Deve essere costante.
- 3º. Deve essere trionfante.

Sentimento di disciplina: Carace.

[*VI Giorno*] - Zelo del sacerdote per sacrificare santamente.

Soggetto della Meditazione in tre punti:

- 1º. L'obbligo che n' ha.
- 2º. Per la necessità.
- 3º. Per l'utilità.

Sentimento di disciplina: per il 2º Assistente [*D. Francesco de Rosa*].

[VII Giorno] - Vita del sacerdote. Fervorosa, esemplare e penitente. Soggetto della Meditazione in tre punti:

- 1º. Fervorosa.
- 2º. Esemplare.
- 3º. Penitente.

Sentimento di disciplina: per il 1º Assistente [D. Angelo Gazzari].

[VIII Giorno] - Vita Nuova. Soggetto della Meditazione in due punti:

- 1º. Vita tutta morta a se stesso.
- 2º. Vita tutta viva a Dio.

